
V
B
C
311059
1 St. Dr.

Vitae

Episcoporum Posnaniensium

per

Ioannem Longini siue Dlugossium

conscriptae

Nunc primum auspiciis ... Ioannis Tar=
nawski Archiepiscopi Gnesnensis ...
Opera Thomae Treteri
cum earundem supplemento in lucem
editae.

Brunsbergae
typis Georgii Schoenfels
1604.



VITÆ EPISCOPORVM POSNANIENSIVM.

Per IOANNEM LONGINI,
siuè DLVGOSSIVM Canonicum
Cracouiensem conscriptæ,

Nunc primum, auspicijs ILLVSTRIS-
SIMI & REVERENDISSIMI Dñi,
D. IOANNIS TARNAVVSKI, Archiepiscopi
GNESNENSIS, & Regni Poloniç
PRIMATIS, &c.


Opera THOMAE TRETERI,
Custodis & Canonici Varmiensis, S. R. M. Secretarij,
cum earundem SVPPLEMENTO
in lucem editæ.

ANNO DOMINI. M. DC. IV.

BRVNSBERGÆ.
Typis Georgij Schönfels.

Cum Priuilegio S. R. M.





ILLVSTRIS:mo & REVERENDIS:mo in
CHRISTO Patri & Domino,

D. IOANNI TARNAVVSKI, D. G. Archiepiſcopo Gneſnenſi: Legato Nato, Regni POLONIÆ PRIMATI & Primo PRINCIPI, &c.



THOMAS TRETERVS, Custos & Canonicus Varmien.

S. D.



VLTA ſunt, Illuſtriſs: & Reuerendiſs: in Chriſto Pater & Dn̄e, in Diuinis Chriſtianæ legis voluminibus loca, è quibus Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ maieſtas & amplitudo, non ita magno negotio deduci poteſt: nullus tamen ad præſens inſtitutum noſtrum magis facere videtur, quàm ille, vbi Spiritus Sanctus Eccleſiam ſub ſpecie Sponſę alloquens, ſuauem illam & decoram, ſicut Ieruſalem; terribilem, vt Caſtrorum aciem ordinatam, eſſe commemorat. Quid enim magis ſuaue, decorum, & admiratione dignum, in hac ab æterno deſignata & Chriſto dilecta ſponſa, videri poteſt; quàm ſi

in militia hac, quæ contra spirituales & temporales nequitias assiduè dimicat, internæ pacis, ac publicæ vnitatis bono deuincta, instar cœlestis illius Ierusalem, quæ visione pacis definitur, assiduæ resplendeat? Quid magis ad terrendos & profligandos illius hostes expeditum: quàm si indissolubili Christianæ charitatis vinculo colligata, cōtra quorumuis inimicorum insultus, veluti castrorum acies ordinata, ad fortiter pro diuini honoris gloria decertandū, cumprimis parata & expedita consistat? Et in castris quidem, ex militari præscripto, summus Imperator suos Tribunos, Centuriones, & diuersorum munerum specie distinctos administros, habeat necesse est, ni confusionem aliquam, cum magno publicæ rei periculo coniunctam, in exercitum velit inductam. Ad eundem modū in hac visibili & militanti Ecclesia, Christus Dominus humanæ salutis summus Imperator, Petro Apostolo Vicario in terris constituto, per eum & successores eius, legitimè ab eo descendentes, perpetua serie disponit & ordinat, Archiepiscopos, Episcopos, Præsbyteros, cęterosq; sacrorum ministros, qui per vniuersum terrarum orbem, populos suæ fidei commissos, vigilanti cura & sollicitudine regant, & aduersus quosuis errores, & infernalium potestatum impetus, in fide Catholica vnanimiter perseuerantes, tueantur & contineant. Hinc manifestè apparet, Ecclesiam sinè pastorib⁹ & Episcopis consistere non posse: vt verissimè scriptum sit à glorioso Martyre & Episcopo Cypriano; Ecclesiam esse plebem sacerdoti adunatam, & pastori suo gregem adhærentem. Episcopum in Eccle-


Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo. Veros autem Episcopos illos tantùm in Ecclesia habitos fuisse, qui ab Apostolis & Apostolicis viris per legitimam vocationē & ordinationem descendebant, euidentius est, quàm vt longiore aliqua probatione indigeat. Nam vt in veteri Testamento soli pro Dei populo censebantur, qui à duodecim filijs Iacob, per carnalem generationem descendebant; soli sacerdotes habebantur, qui à Leui per Aaronē proueniebant: ita in noua lege, nulli sunt Christiani, nisi qui per Apostolos, aut ab illis missos conuersi sunt; nulli Episcopi, nisi qui à Petro designati, sibi ordinatè succedūt. Hinc in omnibus totius orbis Ecclesiijs, vbi Catholica viget religio, à primis earum institutionibus, Episcoporum nomina & successiones accuratè descriptas, & quandoq; depictas, veneranda conseruat antiquitas: vt ad reddendam fidei rationem, cuilibet facilior via pateat, quam per manus Apostolicorum Sacerdotum, illi Regno vel Prouinciæ traditam, Episcopos legitimè succedentes seruare ac profiteri videt. Hac pia & vtili consideratione ductus, antiquæ probitatis vir Ioannes Dluglossius Canonicus Cracouiensis, ante centum & viginti annos, laborem Ecclesiæ cumprimis vtilem suscepit, Cathalogumq; omnium Episcoporum, qui per omnes Regni Poloniæ Cathedras, populo DEI præfuerunt, ab ipsa cuiusque fundatione, ad sua vsq; tempora contexuit, stylo quidem, vt illa ferebat ætas, simplici (quem in aliquo mutare mihi relligio fuit) verùm falsitatis & fuci prorsus experte: cui gentilitia etiam cuiusque Episcopi, quantùm ex antiquitate erui poterat, insignia adiecit. Hunc librum autogra-

 phum

phum, manu ipsius auctoris, ex magna parte, scriptum & correctum, cùm antè annos plus minus viginti, Reuerendiss. Dñs Martinus Cromerus, sanctæ memoriæ Varmiensis Episcopus, mihi pro insigni munere donasset, pro veteri suo erga patriam studio, quam doctissimis scriptis plurimùm illustrauit, hortabatur, vias vt omnes perquirerem, quibus liber hic suo tempore in lucem edi posset. Cuius viri auctoritas, quamuis altiùs animo meo insedisset, meq; ad subeundum laborem hunc acrius inflammaret, Romæ tamen degens, aggredi opus non potui: quòd à Dlugosij temporibus, Episcoporum, qui in quaq; Ecclesia succedebant, Vitas, ad manus non habebam. In patriam tandem post annos plures reuersus, & apud Ecclesiam hanc Varmiensem, sedem figens, cogitationem susceptam prosequendam ratus, ab Episcopis Ciuitatis Posnaniensis, quæ patria mea est, initium faciendum putaui: quòd & altrici meæ plurimùm deberem, & quòd memoriam Pontificum suorum, quam in aula Lubransciana olim depictam, relatione maiorum acceperam, nullam ampliùs exstare viderem. Cum autem tu, Illustrissime Domine, sub illud ipsum tempus Posnaniensis Episcopus renunciatus esses, huius libelli specimen quoddam ad te mittendum curaui: quo viso non solùm labor hic qualiscunque meus tibi non displicuit; sed etiam, vt in lucem prodiret hortari, & sumptus ad eam rem necessarios, alacriter suppeditare dignatus es. Dumq; editio apparatur, te iam ad Ecclesiã Vladislauiensem translato, pestis contagio Prussiam inuasit: propter quam hinc inde dispersi, destinatum ad te munus mittere non potuimus. Sed nec hoc

hoc planè infeliciter accidit, occulta quadam, vt arbitror, Dei ordinatione: vt quod tibi Episcopo pridem debebatur, nunc Archiepiscopo & Regni Polonię Primati, absolutum repræsentaretur; tantò meliore successu, quantò illustrioribus gloriæ Titulis, tua præstantissima virtus, resplendet ac condecoratur. Iure igitur Posnanienses Episcopi, corã te Metropolitano suo, hoc tempore comparent, quo tu ad Ecclesiæ tuæ Gnesnensis limina, Diui Adalberti Martyris, & Polonorũ Apostoli, tumulo consecrata, solemni cæremonia venerabundus accedis. Tibi tanquã vicino congratulantur, te faustis ominibus prosequuntur, omniumque consiliorum & laborum, quos pro Ecclesiæ Reipublicæq; salute suscepturus es, optatos exitus precantur. Tu verò, Archipræsul Illustrissime, libellum hunc, lectu non iniucundum, quem amplissimo tuo nomini dedico, in tutelamq; ac patrocinium trado, benigna fronte, tanquam pign⁹ perpetuę meę erga te obseruantiæ, clementer accipe: contra obtrectatorum, si qui erunt, voculas, auctoritate tua defende: meq; ipsum gratia beneuolentiaque tua complectere: quem ad alia quoque præstanda, quæ ab ingenij mei tenuitate proficisci poterunt, tantò alacriorem reddideris, quantò gratiorem qualemcunq; hanc operam meam, tuæ Amplitudini accidisse cognouero. Deus Opt. M. Illustrissimam & Reuerendissimam D. Tuam, diutissimè seruet incolumem: vt Ecclesiæ & Reipub. longùm præesse & prodesse valeas. Datum apud Ecclesiam Varmiensem Calendis Aprilis, Anno Domini, M. DC. IV.

VITÆ



Vitæ Episcoporvm Posnanien.

PER

IOAN. LONGINI CANON. CRACOVIEN. CONSCRIPTÆ.

Præfatio.

REVERENDO IN CHRISTO PAtri, Domino Andreæ de Bnino, Dei gratia Episcopo Posnaniensi, Domino colendissimo, Ioannes Longini Canonicus Cracouiensis, post administrationem Pontificatus terreni, in Pontificatum cælestem transferri.

VARIIS curis & frequentibus occupationibus publicis & priuatis me distinentibus, Reuerende Pater: libelli, quem de Pontificibus Posnaniens.

nień. Ecclesiæ, cui Diuino munere, lustris propè iam septem, præsides, edere animus gestiebat, curam abieceram. Sub anno autem præsenti, postquam propitiatione Diuina, melior mihi refusus est vigor, schedis, quas dudum scripseram, & consumptas aut abolitas esse credideram, conquisitis, libellum præfatum, ad illustrandum Posnaniensis Ecclesiæ ortum, originem & progressum, successionesque Pontificum, eorumq; genus, conditionem & meritum, qua scrupulosiori cura poteram, contexui: & vmbras obliteratorum iam, & amplius, nisi illis beneficio scripturæ subuentum foret, obliterandorum Præsulum, in lucem præsentium & posterorum vindicaui: vt in notitia versarentur hominum, pro quorum quondam salute excubârunt, operum suorum, quæ vel rectè vel prauè egerant, cognitionem apud mortales, pro eorum ædificatione aut cautela, habituri. Plurimùm enim interest, Episcoporum & magnorum virorum actiones virtuosas & nefarias scriptis mandare; vt & succedentes boni, propagaturi sibi nomen nobile, trahantur ad meritoria; & reprobi ignominia aliqua, etiam post fata cauteriandi, arceantur à culpa. Cœpit autem Posnaniensis Ecclesiæ origo, à Boleslao Chabri primo Poloniæ Rege, & parente suo Myeczislavvo Polonorum Principe & Monarcha: qui Polonorum genus, superstitione falsorum Deorum deposita, ad puritatē fidei Catholicæ, Anno gratiæ Noningētesimo Sexagesimo sexto, primus conduxit: cui tantus fidei & religionis Christianæ dilatandæ fulgor feruorq; illuxit, vt quàmprimum fidei Orthodoxæ initiatus est lumine, duas Archiepiscopales, Gnesnensem videlicet & Cracouiensem; septem verò Episcopales in Regno suo Polonico, videlicet, Vradislauień. Wladislauień. Posnanień. Plocen. Lubucen. Chelmeń. & Camyeneń sub vno eodē tempore cōdiderit, erexerit, fundauerit, doteq; larga, munifica, crassa, & perpetua dotauerit: terminosque Diœcesum præfatarum, per fluuios & signa distinxerit. Inter quas cùm & Pontificatum, Diœcesimque, & Ecclesiam Posnanień. fundasset, illamque Principi Apostolorum Petro dicasset, in loco amœno, vberi, & fructuoso, in Ciuitate quoque populosa, quæ à Metropolitanis parum differebat, & ad flumen Wartha, quod inter septem flumina principalia Poloniæ censetur, non minimum prouida ordinatione constituit: atque illam fundare & dotare non contentus, etiam & vasa, aurea, argentea, vestesq; illustres & nobiles, auro, & ostro intextas pro honorificentia Pontificali, & sua munificentia Regali, cæteraq; clenodia & ossa sacra, atque cumnilia attribuit. Quam tanta veneratione & amore coluit, vt Myeczislaus senex moriens

riens Boleslao Chabri filio suo in Ecclesia Posnanien. locum monstrauerit, quo condi vellet: ibiq; non solum sua, sed & filij sui Boleslai Chabri Regis primi, cæterorumque succedentium sibi Nepotum Poloniæ Regum ossa, condebantur, vsque ad tempora Wladislai primi, Poloniæ RegisLoktek cognominati, qui gloriosius credidit in Cracouien. Ecclesia funiculos splendoris sui iam tunc dilatare; nec ipse solus sed & filius suus Kazimirus Secundus, quàm in Posnaniensi sepeliri. Contulit tamen, & ipse Kazimirus Secundus Poloniæ Rex, in busta priscorum Regum Poloniæ, ex quorum sanguine satus erat, in Posnaniensem Ecclesiam plerasq; munificentias & decora. Nam & Sarcophagos Regum humiles & solo æquatos, pretiosa mole superimposita erexit: delitescẽtesq; vmbras, ne in perpetuam reinciderent obliuionem, vindicatas illustrauit: & Posnanien. Ecclesiæ, vasa aurea & argentea dono reliquit. Gestiebat autem animus meus in scribendis Episcoporum Posnanien. Epitaphijs stylum extendere, aut in laudem aut in sugillationem, sed penuria scribentium, ferè omnis vitæ actio & conuersatio veterum Pontificum, & obruta & obscurata est: quorum nomen, genus, & originem non nisi per verisimilem coniecturam poteram æstimare. Posui & te, Pater Reuerendissime, in ora omnium: virtutes


virtutes quoq; tuas nonnullas, sed & defectus cecini, ampliùs superstes si fuero, virtuosas actiones tuas, ne nunc assentator magis quàm fidelis auctor videar, post fata tua enixiùs depromputurus. Tuam tamen Paternitatem oro & obtestor, vt in hac tua iam occidua ætate, omnes actiones tuas ad morem finis componas. Reflecte à fratribus consanguineis, & nepotulis, nisi virtuosi fortè & meritorij forent, affectionis oculum: quorum ditatio etiã te viuente mœrorem subministrat. Electas in Ecclesiis tibi creditis constitue personas; & dum lateres concederint, quadris lapidibus ædifica. Siccomoris verò corruentibus, cedros planta clarissime Pontificum, pòst gratiam, non mortalis, sed Pontificis æterni adepturus. Id insuper inprimis obserua & studiosè cura, vt Ecclesiæ tuæ statum, magis quàm tuum, misertus, de bono successore cogites: neque censeas dilectam sponsam tuam, cum qua tam concorditer septem lustra vixisti, etiam in mortis limine deserendam. Libellum autem præsentem tuæ Paternitatis dedicaui nomini, celebratiùs illum ad posteros transmissurus: cuius si stylũ non probaueris, materiam non damnabis. Dabis autem vernaculo tuo veniam, si quid in præsenti opere deprehendes, quod linceos tuæ Paternitatis oculos in offensionem pertraxerit. Neque enim is sum, vt absque labe & errore,

in mortali corpore degens, singulas offensiones & lapsus euitare potuerim. Tuum erit, Pater colendissime, & errata rescindere, & lapsus erigere, & singulos defectus supplere. Non abnuo siquidem neque inficior, plura me pro conditione fragili & ingenij tarditate, languidè, abscisè, aridè, & inconcinnè transcripsisse. Quapropter opusculum præsens, & tuæ Paternitatis, & cuiuslibet alterius, prudentia & doctrina magis imbuti, correctioni & emendationi subijcio, facilius ab alijs probandum, si à tua Paternitate in locis forsitan abruptis, viciatis, & scabrosis, fuerit suppletum, tersum, & limatum. Quam incolumem & mei memorē conseruet altissimus feliciter & longęuè. Datum in Lublin, die Mercurij Vicesima secunda Mensis Februarij. Anno ab Ortu Christi, Millesimo, Quadringentesimo, Septuagesimo Quinto.



IOR.

IORDANVS.





Catholica fide & religione Polonorum regnum & gentem, dispulsa gentilitatis tenebra, illustrante, inter nouem Cathedrales Ecclesias, pro quantitate gentis & regni, à Myeczislavvo Patre & Boleslao filio eius, principibus Poloniæ fundatas dotatasque, Posnaniensis Ciuitas ad fluuium Vartha sita, digna visa est,

quæ

quæ Pontificali honore atq; dignitate insigniretur. Fundata itaq; illic cathedrali Ecclesia, & B. Petro Apostolorum Principi dicata atque titulata, Romanus Pontifex Stephanus Papa Septimus, à quo non solùm tot Ecclesiarum Cathedralium confirmatio, verùm etiã personarum dignarum, postquam nemo ex Polonis ea tempestate neophitis, idoneus sacerdotio reperiebatur, prouisio, nominatio, & ordinatio petebantur, virum probatæ sibi virtutis, religionis, & fidei, Iordanum natione Italicum, genere nobilem & Romanum, qui ex familia & domo Vrsinorum ducebat genus, ad Ecclesiam Posnanień. pronunciauit & instituit, eoque Romæ consecrato & benedicto, ad Poloniæ Regnum ad regendum Posnanień. Ecclesiam Anno Natiuitatis Redemptoris nostri, Noningentesimo, Sexagesimo Sexto ire iussit: per quem idem Summus Pontifex Stephanus, quò primitiæ aduentus sui, clero Posnanień. & populo gratiores forent, gladium Beati Petri, quo in abscindenda Malchi auricula, in montis Olíueti horto, vsus fuisse Apostolus creditur, siuè hunc siuè alium in memoriam tam famosi Apostolici operis, surrogatum & benedictum transmittit; vt haberet Posnanień. Ecclesia notarium clenodiũ, quo se à Vicario Christi & Petri successore, in Beatissimi Petri decus nomen & titulum gloriaretur & dica-

& dicatam & insignitam. Qui quidem gladius in Ecclesia Posnanień. etiam in diem hanc studiosa colitur veneratione. Cum autem Iordanus ipse Episcopus, ad sedem suam Posnaniensem venisset, à Clero & populo fauore singulari exceptus est: & omnis illi honos exhibitus est à principibus Regni & Satrapis. Erat autem Iordanus ipse vir mitis, amplitudinem fidei, & salutem sui gregis zelans, in conspectu Principum & populi gratiosus: qui cùm annis vno & triginta sedisset, tandem bonis operibus plenus, Anno Domini Millesimo Primo, apud Posnaniam diem obijt, in Ecclesia quoque Posnanień., iusto honore funeri expleto, tumulatus. Alijs placet, illum non in Posnania, sed in Brandenburg sepultum fuisse.




TIMOTHEVS.



ABsumpto pro conditione mortalitatis humanæ, Iordano Posnanień. Episcopo, qui primus in Posnanień. Ecclesia pettalum Pontificale gessit, Timotheus primus ad Pontificatum Posnaniensem per summum Pontificem Benedictum Papam septimũ Anno Domini Millesimo secundo suffectus est: natione & ipse Romanus

manus, genere nobilis, sed virtute & doctrina nobilior; Polonici tamen idiomatis ignarus. ob quem defectum in Diæcesis suæ populo non poterat tantum quantum gestiebat plantare profe-



ctum. Per alios tamen sacerdotes & viros Ecclesiasticos Polonici idiomatis gnaros & peritos, sollicito studio administrabat Episcopatum, & singulas cærimonias atque carismata implebat, vir pudicus & continens, vitæ quoque & conuersationis exem-


exemplaris. Hic cùm annis decem & octo Posnanieñ. Ecclesiam rexisset, in morbum incidit: qui cùm illum aliquanto tempore grauasset, tandem ægritudine assiduè inualescente, Anno Domini Millesimo Vicesimo moritur, & in Ecclesia Posnanieñ. tumulatus, accepit sepulturam.



PAVLINVS.

IN locum Timothei Posnanieñ. Ecclesię Episcopi, dum successor idoneus pro regenda ipsa Ecclesia quęreretur, & à Summo Pontifice Bonifacio Papa VII. per nuncios & litteras Boleslai ea tempestate Poloniæ Regis peteretur: Paulinus Canonicus Sancti Petri de Vrbe, dignus visus est, qui Timotheo substitueretur. Nuncijs itaque Boleslai Poloniæ Regis & Posnanieñ. Ecclesiæ in illum consentientibus, Anno Domini Millesimo Vicesimo primo, in Posnaniensem pronunciatur Episcopum, & de mandato Pontificis Maximi in Episcopum Romæ consecratur. Vir ex familia nobili, & ex proceribus, parentibusque Italicis ortus, in Diuinis litteris apprimè eruditus, suaues & placidos mores redolens, patientiam seruans in aduersis. Is cùm in Poloniæ Regnum cum litteris


litteris Apostolicis diuertisset, primũ se Bolesłao Poloniæ Regi præsentauit; à quo comiter & exceptus & habitus est: apud cuius curiam aliquot diebus immoratus, datis comitibus ad Posnanień.



Ecclesiam perductus, & à Clero & à populo honorificè susceptus est: rexitque Posnanień. Ecclesiam piè, prudenter, & studiosè annis quindecim. Anno deinde Millesimo Trigesimo quinto, post diuturnam valetudinem febrilem, superante morbo remedia, obdormiuit in Domino, Et in Ecclesia Ponsnanień. Pontificali honore sepultus est.

BENE-

BENEDICTVS.




POst mortem Paulini Posnanień. Episcopi, sedes Posnanień. integro ferè vacauit biennio, quoniam & clerus Posnanień. in sufficiendo Episcopo segnior fuit, & in Regno Poloniæ Rex deerat, & Casimiro filio regio cum genitrice Rixa exulare coacto, Interregnum durabat. Postquam verò vacatio ipsius Ecclesię amplius

 plius

plius nec differri, nec tergiuersari potuit, propter necessitudinem clero & populo incumbente, Poloniæ Senatus à Clero Posnanień. frequenter interpellatus, quoniam, Rege tunc regnum carebat, missis nuncijs & litteris Romanum Pontificem Benedictum Papam Octauum de surroganda persona ad Posnanień. Ecclesiam sollicitat. Summus verò Pontifex Benedictus Octauus molestè ferens præfatæ Ecclesiæ vacationem, Benedictum natione Siculum, ex Neapoli ortum, Anno Domini Millesimo, trigesimo septimo, ad Posnanień. promouit Ecclesiam. Erat enim in conspectu Summi Pontificis & Cardinalium gratiosus, & opinione celebris habebatur. Fulgebat insuper in eo pudicitiæ bonum, quo illum gratiorem fieri Polonorum genti singuli æstimabant. Hic ad Posnaniensem accedens Ecclesiam, honore Processionis à clero & populo exceptus est. Plura, quæ sub Ecclesiæ vacatione aut corrupta aut neglecta fuerant, correxit & instaurauit. Post annos autem vndecim, quibus ipsam regebat Ecclesiam, Anno Domini Millesimo quadragesimo octauo, fato subtractus est, & in Posnanień. Ecclesia humatus, quarto Idus Decembris.

MAR-



VAcanti Posnanień. Ecclesiæ ex morte Benedicti Pontificis sui immediati, Romanus Pontifex Ioannes Papa XX. à Casimiro Poloniæ Rege rogatus, dignum Pontificem prouisurus, ad Marcellum Apostolici Palatij Auditorem, Decretorum Doctorem, famosum & insignem pro eo tempore Iurisperitū, dirigens considerationem & respectū, ipsum Añō M. XLVIII.


Posna-

Posnanien. Ecclesiæ præficit in Episcopum & pastorem. Hic natione Romanus, nobilis genere, ex familia & domo veteri Marcellorum ortum ducens, moribus etiam conspicuus, & in virtutibus doctrinaque vir splendidus, & admirandus. Qui cùm in cæteris dotibus Pontifice dignis copiosus esset & abundans, facundię tamen & sermonis Polonici expers prorsùs & indigus erat. Quo non obstante, multa per se in rebus Pontificalibus, interpretibus vtendo; cætera per Vicarios, Officiales & Archidiaconos administrabat. Exactis autem in Pontificatu Posnanień. decem & septem annis, scabiem incurrens, & illam aliquanto tempore perferens, omnibus Sacramentis ritè & deuotè perfunctus, Anno Dñi M. LXV. moritur, & in Ecclesia Posnanień. sepelitur.



THEODORVS.

NE Posnaniensis Ecclesiæ vacatio ex morte Marcelli Primi sequuta, dispendiosa ipsi Ecclesiæ foret, Boleslaus Poloniæ Rex missis nuncijs & litteris ad Curiam ad Nicolaum Papam II. prouideri Ecclesię Posnanień. petijt, de Episcopo idoneo & pastore. Summus autē Pontifex Nicolaus præfatus, licet frequentes & notabiles viri per se & Cardinales instarent, omni-




bus tamen neglectis & prætermissis Theodorum Canonicum S. Mariæ Maioris, Iurisperitum Canonici & Ciuilis iuris Anno Dñi M. LXV. præficit in Episcopum & pastorem, virum etsi non genere, virtute tamen nobilem, natione Italum & indolis egregiæ, & ingenij singularis, àm principit quàm clero & populo ob suos modestos mores

 charum.


charum. Qui clerum ſuum verbo pariter & exemplo ædificabat. Rigidus in ſcelera cleri animaduerſor, & ſubſtantiæ Eccleſiaſticæ prouidus diſpenſator. Hic cùm Eccleſiam Poſnanieñ. Annis duobus & viginti rexiſſet, febrim tertianã longo tempore, lento tamen dolore perferens, tandem Anno Domini M. LXXXVII. vita exceſſit, omnibus rebus ſuis, quas quæſierat, ritè aut in Eccleſias aut in egenos, pupillos, & viduas diſtributis, viaticoque ſacro & alijs Sacramentis procuratus. Quo in Eccleſia Poſnanieñ. condito, iuſta etiam illi ſunt in eadem Eccleſia perſoluta. Huius autem nominis appellationem Polonorum proceres imitati, filios ſuos, fratres & propinquos eo nomine Theodoros in Baptiſmate inſigniebãt. Verùm cùm illud congruè exprimere & in Polonico vulgari ſonare non poſſent, pro Theodoro corrupto vocabulo, Ceder nuncupant in diem hodiernam.



DIONYSIVS.



THeodoro Poſnanieñ. Epiſcopo mortuo, de ſubſtitutione noui Pontificis longa fuit concertatio & difficultas inter Prælatos, Canonicos Poſnanieñ. clerumq́ue & Summum Pontificem, ſuborta. Nam Prælati, Canoni-



ci & Clerus Poſnanieñ. vnum ex ſe præfici in Epiſcopum expetebant: quibus & Boleſlaus hæres, dux, & Monarcha Regni Poloniæ multipliciter fauebat, & eorum propoſitum omni ſuo conatu & ſtudio adiuuabat. Summus autem Pontifex iure ſuo diuturno & continuato vti volebat. Tandem poſt plures altercationes, iuxta Papæ ordinationem


tionem & beneplacitum, Dionysius Canonicus S. Petri, à Summo Pontifice Vrbano Papa II. Anno Domini M. LXXXVIII. prouisus est. Vir Italici sanguinis & generis, Græcæ linguæ peritus, in studijs quoque & litteris Diuinis & humanis singulariter callens. Spectatæ insuper religionis & deuotionis vir; qui Ecclesiæ facultates & prouentus in pauperum & egenorum visceribus recondere solebat. Qui cùm regimini Posnanieñ. Ecclesiæ Annis duobus de viginti præsedisset, tandem Anno Domini M. C. VI. morbo colicæ & dolore intestinorum, aliquanto tempore vexatus, ordinata domo sua, vti religioso Pontifici dignum erat, ad horam mortis perueniens diem obijt: & post funerias Catholico more expletas in Posnanieñ. Ecclesia sepultus est. Hoc quoque vocabulum Dionysius, Polonorum nobilitas suis liberis & cognatis indere consueuit. Sed non valens exprimere illud congrè, Dzivvisum pro Dionysio appellat.



LAVRENTIVS.




MOlestè ferentes Prælati & Canonici totusque Clerus Posnaniensis prouisionem Ecclesiæ Posnanieñ. ex arbitrio & dispositione Summi Pontificis pendere, & ignotos exterosque




sibi præferri, præsertim cùm iam inter Prælatos & Canonicos Posnanienses reperiebantur nonnulli, qui ad sustinendum Pontificale onus idonei videbantur; offendebatur & Clerus populusq; quòd cum Pontifice suo, proprio & patrio idiomate proprias nesciret, & nonnisi per interpretes explicaret necessitates. Grauabat insuper eos & missio nuncio-

nunciorum in Vrbem, & sumptus pro litteris cæterisque oneribus expendendi. Itaq; post mortem Dionisij, precauendo sibi in futurum de forensi Episcopo, Laurentium Præpositum Posnaniensem eligunt concorditer in pastorem. Hic natione Polonus erat, de humili stirpe procreatus agrestium; virtus tamen & vita probè acta illum nobilitabat. Cuius electionem Martinus Gnesneñ. Archiepiscopus per electum & electores præsentatam sibi Gnesnæ, sollicitatus etiam litteris Boleslai tunc Poloniæ Monarchæ Año Dñi M. C. VI. confirmauit: & præfatum Laurentium in diebus subsequentibus in Gnesneñ. Ecclesia consecrauit & benedixit. Qui Cathedræ Posnaniensi Annis vno & viginti præsidens laudabiliter illam rexit & administrauit, catholicis moribus & ritibus clerum suum imbuens, & sacrilegos mores atque ritus, qui nondum in populo Polonico emortui fuerant, exterminans & destruens. Qui tandem grandæuus, æuo & senio confectus, Anno Domini M. C. XXVII. sacramentis omnibus viaticatus, moritur; & in Ecclesia Posnaniensi sepelitur.




MAR-

MARTINVS.




MAiori zelo feruentiorique fiducia Prælati & Canonici Posnanienses freti, ad electionem futuri Pontificis, morte Laurentij Episcopi sequuta processerunt, postquam illis electio eorum prima, de Laurentio superioribus Annis facta, pro voto cesserat, nullo impedimento Apostolico, aut Curiæ Romanæ, ingesto. Itaq; comitiorum diem dum instituissent, & fre-

& frequentes ad illam conueniſſent, Martinum Decanum Poſnanień. concorditer in Epiſcopum Poſnanień. aſſumunt & eligunt. Cuius electionē, comperto per diligens examen, quòd legitima Canonica, & vniformis foret, Iacobus Primus Archiepiſcopus Gneſneń. poſt conſenſum Boleſlai Poloniæ Monarchæ, per electum & Capitulum Poſnanień. obtentum, litteris etiam eiuſdem Principis interpellatus, apud Lancitiam confirmat, & Martinum electum ad ordinem Pontificalem Anno Domini M. C. XXVIII. benedicit & conſecrat. Hic Martinus ex genere obſcuro ortus, Polonus natione, propenſior in doctrina & virtute, inter Prælatos & Canonicos Poſnanień. habebatur, ob quæ decora, Pontificatus Poſnanienſis illi, cæteris neglectis, fuit mandatus. In coleram tamen, quàm Pontifici conueniret, fuit procliuior. Hic dum Eccleſiam Poſnanienſem Annis decem & nouem adminiſtraſſet, ſcabiem aliquanto tempore paſſus, in diem extremum perueniens, carne ſolutus eſt, Anno Domini, M. C. XLVII. & in choro Eccleſiæ Poſnanienſis tumulatus.



BOGV-

BOGVPHALVS.



Pontificem Poſnanienſi Eccleſiæ, ex morte Martini Primi vacanti, prouiſuri Prælati & Canonici Poſnanienſes, Capitulo generali indicto, apud Poſnaniam conueniunt: in quo votis ſingulorum examinatis, Boguphalum Cuſtodem Poſnanienſem ex votorum pluralitate eligunt, & aſſumunt virum exemplarem, & in egenos liberalem, ſed grandæuum, ætatis &

D


tis & valetudinis iam languidæ & confractæ, Polonum natione, genere Nobilem de domo & familia Rosarum, primusque hic fuit, qui ex nobilitate Polonica assumptus in culmen Posnaniensis Ecclesiæ, rexit illam. Præerat tunc summæ rerum apud Polonos Myeczslaus Poloniæ Princeps: qui pro consensu per Electum & Capitulares rogatus, aliquamdiu restitit: ad extremum precibus & Ecclesiasticorum & secularium fatigatus, consensum dedit, & Iacobus Gnesnensis tunc Metropolitanus electionem ipsam Anno Domini M.C. XLVIII. apud Zneinam Canonicã reperiens confirmauit & præfatũ Boguphalum electũ, in Posnanieñ. Ecclesiæ Episcopum præfecit & consecrauit & benedixit. Hic cùm ãnos duos, menses sex sedisset, senio incertum est, confectus an morbo, Anno Domini, M.C.L. moritur, & in Ecclesia Posnanieñ. sepelitur.



PIANVS.



Canonum beneficio, & Sanctorum Patrum, Prælati & Canonici Posnanienses vsuri decreto, dum ad constitutam electionis diem, pro futuro Posnaniensi Episcopo eligendo conuenissent, & monstrosam electionem (quidam Thomam, alij Philippum Canonicos Posnanienses eligendo) celebrassent; Summus Pontifex Eugenius Papa Tertius, in tan-



ta diuersitate & discordia eligentium, suo & ipse iure vsurus, Pyanum auditorem Palatij, Decretorum Doctorẽ, inter cæteros Auditores sibi charũ, Posnanieñ. Ecclesiæ Anno Dñi M.C.L. præficit in Episcopum & pastorem: virum Italici generis, & ex familia nobili ortum: qui ab Episcopo Cardinali Ostiensi consecratus, in Poloniam veniens, Posna-

Posnaniensis Ecclesiæ possessionem adeptus est, Boleslao Poloniæ tunc Monarcha, ordinationem suam ferente magis quàm probante. Prouisioni enim Summi Pontificis, & litteris pro præfato Pyano Episcopo, quas scribebat, commendatitijs refragari se non posse intelligebat. Hic cùm annũ vnum, Menses sex sedisset, aëris intemperiem suæ naturæ disconuenientem non sustinens, in morbum incidens, Anno Domini M. C. LI. rebus humanis exemptus est, & in Posnanień. Ecclesia iusto honore sepelitur.



STEPHANVS.


PYani Episcopi Posnanień. mors licet immatura & intempestiua fuerit, omnibus tamen Polonis, & præsertim Prælatis & Canonicis Posnanień. cesit in gratum: qui molestè ferebant Posnaniensis Ecclesiæ prouisionem Polonici generis hominibus abstractam & ad Italos reuolutã esse. Itaque festinantius quàm conueniebat tantæ rei, Capitulo generali ad substituendum nouum Posnaniensem Pontificem indicto, votis examinatis singulorum, Stephanum Canonicum Posnanień. paucis contradicentibus eligunt: cuius electioni contradictores à cæteris persuasi consentiunt, virũ probum & nobilem de domo & familia Agricolarum, vitæ pudicæ & religiosæ: in cuius electio-




nem dum etiam Myeczslaus Princeps Maioris Poloniæ consensisset, à Ianislao Archiepiscopo Gnesnień. electio eius apud Calisch confirmata, & ipse Stephanus Elect⁹ in Ecclesia Calisień. per præfatũ Ianislaum Archiepiscopum, in Episcopum consecrat⁹ & benedict⁹, Anno Dñi M.C.LI. qui cùm

annis

annis quinq; in sede Posnaniensi sedisset, paralysi tactus, Anno Domini M. C. LVI. obijt, in Ecclesia Posnaniensi sepultus.




RADWANUS.






AD Comitiorum diem pro futuro Posnanień. Episcopo, in Calendis Augusti indictam, eligendo, cùm frequens numerus Praelatorum & Canonicorum Posnaniensium contractus foret, nonnullis per ambitionem Sedem illam obtinere conantibus, monstruosa & in plures electos diuisa Electio fuit subsequuta. Verentibus autem ne eorum schisma licentiam & occasionē Summo Pontifici daret, suo iure in Ecclesiam Posnaniensem vtendi, & Polonis exclusis, Italum aut Gallum Ecclesiae Posnanień. praeferendi, voluntates rebelles sedant, rancores & bilem rescindunt, & in Raduvanum Scholasticum Posnanień. virum modestum & virtuosum, mediocriter tamen litteratum & doctum, genere Nobilem, de domo & familia Srzenyávva consentiunt. Qui & ipse per se & suos cognatos Principis Poloniae & Monarchae Myeczslavvi consensu, velut patroni, obtento, electionem etiam suam à Ianislao Archiepiscopo Gnesneń. apud Vnyeiovv obtinuit, velut canonicam confirmari, & se in Episcopum Posnanień. benedici, Anno Domini M. C. LVI. qui cum annis octo Sedem Posnaniensem rexisset, à passione iliaca correptus Anno Domini M. C. LXII. morte absumptus est, in Ecclesia Posnanień. terrae mandatus.





BER-



VEriti Prælati & Canonici Posnanień. ne vacatio Posnanień. Ecclesiæ ex morte Raduvani Episcopi immediatè sequuta, ipsis & Ecclesiæ ipsorū foret dispendiosa, ad electionis diem, quam in SS. Petri & Pauli Apostolorum natalitio indixerant, frequentes conueniūt; & per dies aliquot mutuos agitabant tractatus, vt ex corpore suæ Ecclesiæ, aut si id minus cederet, alienæ,

alienæ, dignām ad Pontificatum eligerent personam. Viam itaque scrutinij potiorem & efficaciorem ad consequendum sui voti propositum rati, scrutatoribus delectis, & votis apud illos depositis, apparuit maiorem & saniorem partem, Bernardum Abbatem siuè Præpositum Trzemeßensem elegisse: in quem & cęteri tàm eligentes quàm electi facilè consentiunt, & suam approbant electionem. Erat enim vir iustitiam diligens, & singulari refulgens humilitate, nitore etiam pudicitiæ insignis. Cuius electionem & Myeczslaus princeps Regni Poloniæ & Monarcha velut patronus consensit, & Gnesneń. Archiepiscopus Ianislaus confirmauit, præfatoque Bernardo munus consecrationis & benedictionis Anno Dñi M. C. LXII. impendit. Hic Nobilis de domo Sirokomla cùm Ecclesiam Posnanień. annis tredecim rexisset, tandem de Episcopatu Posnaniensi cessit, & ad quietē Monasticam redijt, vbi habitans in febrim quartanā lapsus; rebus humanis exemptus est, & ad Posnaniensem Ecclesiam relatus, in ea accepit sepulturam Añ. Dñi M. C. L X X V. 2. Kalend. Octob.





SVffecturi nouum Pontificem Prælati & Canonici Posnanień. diem S. Martini pro electione destinant. Qua appetente, dum aliquanto tempore forent discordes, & studijs partium in plura se scidissent vota; tandem sanatis & oppresis iurgijs & contentionibus, in Svvanthoslaum Præpositum Posnanień. & Canonicum Gnesneń. conformiter vota sua depromũt, & ipsum


& ipsum eligunt in Posnanień. Ecclesiæ pastorem. Qui etsi senio grauatus onus illud detrectasset suscipere; importunitate tamen eligentium victus, tandem iugum Domini suscepit: vir & scientia conuenienter ornatus, & virtute singulariter redimitus, nobile genus ex familia Accipitrum ducens. Qui & ipse à Petro Gnesneń. Archiepiscopo Principis consensu Myeczslavvi petito & obtẽto, vigore suę electionis, in Posnaniensem Episcopum confirmatus, benedictus, & consecratus est, breuiusculo tempore in Cathedra Posnanień. anno videlicet vno sedens, Anno Domini M. C. LXXVI. mortuus est, & apud Ecclesiam Posnaniensem sepultus.



GERVARDVS.


PRimum diem Mensis May, ad Comitiorum tempus, Prælati & Canonic i Posnanienses, pro eligendo futuro Pontifice indictum, conuenientes, Gervvardum Custodem & Canonicum Posnanień. concorditer eligunt, virum nobilem de stirpe Aceruorum genus ducentem; operibus pietatis deditum, ad voluptates tamen procliuem. Cuius electionem

Petrus Gnesnen. Archiepiscopus apud Opatnovv, Myeczslavvi Principis & Monarchæ Regni Poloniæ consensu accedente, nullo competitore impe-



diente, confirmauit, præfatumq; Gervvardum in Posnanieñ. Episcopum, Anno Dñi, M.C.LXXVI. consecrauit & benedixit. Hic quoque sub breui tempore consummatus est. Nam à peste Epidimiæ correptus, & diebus aliquot languens Sacramẽtis Ecclesiasticis deuotè sumptis, moritur: & in Ecclesia Posnañ. sepelitur An. Dñi M.C.LXXVII.

ARNOL-





QVintadecima Augusti Prælati & Canonici Posnanieñ. Capitulum generale ad eligendum nouum Posnanieñ. Episcopum celebrantes, sedata discordia quæ nonnullorum pectora peruaserat ad meliorem redeuntes mentem, Arnoldum Canonicum Posnaniensem & Gnesneñ. Anno Domini M. C. LXXVII. eligunt. Vir hic nobilis erat, ex familia & stirpe Dolanga

 proge-


progeniem ducens, coleræ & indignationi indulgens: cuius electio à Gnesneñ. Archiepiscopo Petro fuit confirmata: & ipse Arnoldus in Posnaniensem Episcopum ab eodem Petro Archiepiscopo Gnesnensi fuit in Gnesnensi Ecclesia confirmatus & benedictus. Hic in religiosos & seruos Dei, singularem fauorem deuotionis gerens, Monasterio in Lubens Ordinis Cistertiensis, villam Cossentino vltrà Cazimirz donatione perpetua contulit & donauit. Hic cùm annos nouem in Pontificatu Posnaniensi sedisset, à dissenteria inuasus, Anno Domini M. C. LXXXVI. decimo octauo Calendas Februarij, aliâs feria quarta, die decimaquinta Ianuarij moritur: & in Posnaniensi Ecclesia funeri suo iusta soluta sunt.



MROKOTHA.

FEstum Cathedræ B. Petri Apostoli, aliâs diem XXII. Februarij, Prælati & Canonici Posnanieñ. pro electione futuri Posnanieñ. Episcopi instituentes, cùm frequentes ad mun⁹ illud edendũ conuenissent, Mrokotham Custodem Posnanieñ. à maiori, & saniore parte nominatũ, in

in Posnanieñ. Episcopum eligunt: cui etsi nõnulli Prælati & Canonici cum suis electis aliquanto tempore aduersati fuissent, fortiori tamen iure




victi cesserunt: & ipse Mrokotha electus, nactus fauorem & gratiam Myeczslavvi Principis Polonici regni & Monarchæ, à Sdzislao Gnesneñ. Archiepiscopo, primùm suæ electionis confirmationem, deinde & consecrationem consequutus est. Qui cùm annis decem sedisset, tandem languore epidi-

epidimiæ pressus Anno Domini M. C. XCVI. debitum soluens obijt, apud Ecclesiam Posnanień. sepultus.



PHILIPPVS.






Iem octauam Septemb. siuè festum Natalis Serenissimæ Reginæ nostræ, Virginis Mariæ, Prælati & Canonici Posnanień. ad habenda comitia futuri Posnanień. Episcopi instituunt: quo adueniente Philippum Canonicum Posnanień. per viam scrutinij, paucis discordantibus eligunt. Erat hic genere nobilis stirpem ducens de domo & familia Wyćnyávvá, conuenienter litteratus: cuius electio, à Sdzislao Gnesneń. Archiepiscopo, consentiente Principe & Monarcha Regni Poloniæ Myeczslavvo fuit confirmata, Anno Domini M. C. XCVI. & ipse Philippus in Posnanień. Episcopum fuit per ipsum Sdzislaum Archiepiscopum Gnesneń. benedictus. Vir modestus & mansuetus & patiens in aduersis. Qui cùm annis XIII. in Posnanień. Ecclesia sedisset, in febrim tertianam incidens Anno Dñi M. CC. IX. morte subtractus est, & in Posnanień. Ecclesia sepultus.



PAVLVS.

IN locum Philippi per electionem Apostolicam, Frater Paulus Ordinis Prædicatorum suffectus est, & per Henricum Gnesneń. Archiepiscopum de consensu Myeczslavvi Principis Regni Poloniæ, confirmatus,

tus, consecratus & benedictus An. Dñi M.CC.IX. Hic dum Borzyvvóy Comitem de Srzem pro notabilib⁹ transgressionibus & violentijs, & iniurijs




Ecclesiæ Posnanieñ. illatis, excommunicaret: rogatus ab eodem Borzyvvóy, data acceptaque securitate ad eum cum certis Prælatis, Baronibus, & amicis, in Srzem, benigne secum omnia compositurus, pij patris more, venit. Quem idem Borzyvvóy, iure gentium & iure hospitij neglecto, ac securitate violata, captiuat; qui captiuitatem e-
uadens

uadens, per vniuersam Polonicam Ecclesiá ipsu excommunicauit: quo censuras contemnente & satisfacere recusante, capitur in Srzem & occiditur dignam pœnam suæ temeritatis persoluens: Qui cùm sedisset Annis XXXIII. moritur, & in Posnañ. Ecclesia sepelitur An. Dñi M. CC. XLII. Prid. Calend. Aprilis.




BOGVPHALVS. II.



KAlendas Maij Capitulares Posnanienses Capitulo generali celebrato, Boguphalum Cantorem Posnanień. & Canonicũ Cracouień. nobilem genere de domo Rosarum eligunt concorditer: cuius electio Idib. mensis Iunij per Fulconem Archiepiscopum Gnesnen. fuit confirmata: & ipse Boguphalus in crastino, in Presbyterum promot᷒, in die verò S. Laurentij in Episcopum per Fulconem Archiepiscopum in Ecclesia Gnesneń. consecratus: qui cùm sedisset Annis X. Mensib. 6. diebus xv. Anno Domini M.CC. Liij. quinto Id. Februarij in villa Episcopali Solyecz moritur: & in Posnań. Ecclesia sepelitur. Vir litteratus & studiosus; pulchram bibliothecam Eccesiæ Posnanień. relinquens. Hic Chorum Ecclesiæ Posnanień. multas habentem ruinas demoliens, nouum Chorum à fundamentis fabricauit. Hic villam Kozlovvo à Duce Semouito Masouiæ pro xc. Marcis argẽti pro Ecclesia sua Posnanień. comparauit: quas idem Semouitus pro debitis prius Episcopo Ecclesiæ Posnanień. soluere tenebatur.

PETRVS




VIduatæ Ecclesiæ Posnanień. de pastore, Capitulares Posnanień. Ecclesiæ prouisuri, dum Capitulum generale Año Domini M. CC. LIII. pro Dominica Oculi, quæ fuit dies - - - Mensis - - - pro electione institutum tenuissent, Petrum Decanum Posnanień. virum religiosum, deuotum, & pium, Nobilem de domo

 Pravvdi-

Pravvditarum, per viam compromissi, facto in tres videlicet, Petrum Præpositum, Petrum Decanum, Gerardum Scholasticum, compromisso, concorditer eligunt:& Petrum Cancellarium Boguphali olim Episcopi, quo in via spoliato & detento, Magistrum Ioannem Cantorem, filium Wischkonis,& EusebiumCanonicumPosnaniensem,ad Hugonem Cardinalem & Legatum Apostolicum (prohibitum enim fuit per Sedem Apostolicam, Archiepiscopo & Metropolitano Gnesnensi, ne Hugone & Legato prædicto, Legationis in Polonia honore fungente, Episcopos Poloniæ confirmaret) transmittunt rogaturos, de prohibitionis relaxatione. Qui etsi ab Hugone Cardinali & Legato prædicto, relaxatione huiusmodi obtenta, Metropolitanum suum Fulconem Gnesnensem Archiepiscopum, primùm apud fluuium Nidam,deinde apud Lanciciam,confirmari suum electum deposcentes, adijssent; Ioanne tamen Archidiacono Posnanien̄. primùm, deinde Theophilo Archidiacono Cirnen̄. & Canonico Posnanien̄. propter contemptum de se factum, huiusmodi confirmationem impugnantibus,confirmatio ipsa fuit tunc protelata & impedita. Discordiā autem huiusmodi Oppizo Abbas de Messano Nuncius Apostolicus, ad Notitiam sui perlatam sedaturus, vtrosque ad se in Wratislauiam accersiit,


accersiit, & venientes depositis omnibus discordiis & oppositionibus in vnionem fraternam reduxit,prædictique Petri electionem legitimam & & Canonicam reperiens, auctoritate Apostolica confirmauit. Qui eodem Anno in Villa sua Episcopali Kozlovv, fuit per Fulconem Archiepiscopum Gnesnensem,in PræsulemPosnaniensem consecratus. Qui cùm Anno vno, mensibus duobus sedisset,Paralysi in parte dextra tactus,quarto Idus Maij moritur, Anno Domini Millesimo Ducentesimo,quinquagesimo quarto; Et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur.




BOGVPHALVS. III.

NOn audentes Capitulares Posnanienses, in die vj. Id. Iunij, pro electione futuri Pontificis Posnaniensis indicta, propter prohibitionem eis per Opizonem Abbatem de Messano Nuncium Apostolicum per speciales & patentes litteras factam, procedere, missis ad eum nuncijs notabilibus, inhibitionem huiusmodi tolli obtinuerunt: & XV. Iunij iterum ad eligendum Pontificem nouum apud Posnaniensem Ecclesiam congregati, facto in Magistrum Ioannem

Ioannem Wilchkonis Scholasticum Posnanien. Nicolaum Scholasticum Cracouien. & Theophilum Archidiaconum Czirnen. Posnanienses



Canonicos compromisso, Boguphalum de Czermyelin Præpositum Gnesnensem & Canonicum Posnanien. nobilem de doma Rozà, concorditer per viam compromissi eligunt: cuius electio velut conformis & canonica per Fulconem Archiepiscopum Gnesnen. apud Çurzelovv fuit confirmata: & ipse Boguphalus in Anno sequenti, videlicet M. CC. LV. in Dominica Reminiscere apud Monasterium Landense, per eundem Fulconem Episcopũ Gnesnensem, assistentibus sibi Thoma Wratislauiensi, Michaële Wladislauiensi, Andrea Plocensi, Henrico Culmensi Episcopis, fuit consecratus. Sedit annis decem, abutendo, quas sibi Deus & natura contulerat, virtutibus: & plerisque vicijs & carnalibus illecebris Pontificale culmen inquinando. Tandem Anno Domini M. CC. LXIIII. quinto Id. Febr. apud Villagium Czyrmna moritur, & in Ecclesia Posnaniensi sepelitur.



PHALANTHA.



Vigesima quinta Mensis Februarij die M.CC.LXV. Capitulares Posnanienses, futuri Posnaniensis Episcopi electionem celebrando, Petrum aliâs Pyetrzikum de Skoczevvo, Præpositum Posnaniensem nobilem de domo Habdanck via Scrutinij procedendo, concorditer eligunt. Qui assumptis secum aliquibus Prælatis & Canonicis Posnaniensibus ad Ianussium Archiepiscopum Gnesnensem, suæ electionis

ctionis petiturus confirmationem, processit: quē apud Znnam offendens, dum suam electionem confirmari peteret, simplicitas litteraturæ & Iuriū




ignorantia illi fuit à Ianusio Archiepiscopo obiecta: quod nonnulli adstruunt Ianusium Archiepiscopum callido fecisse ingenio, quatenus morem Boleslao Maioris Poloniæ Duci & suæ consorti Iolentæ filiæ Regis Hungariç gesturus, Phalantam Decanum Gnesnensem, pro quo Dux & Ducissa feruidam

feruidam sollicitudinem interponebant, ordinasset succedere. Contigit interim, quòd prædictus Petrus aliâs Pyetrzik Prępositus & Electus Posnaniensis, siuè Ducis Boleslai & Ianusij Archiepiscopi consilijs & persuasionibus, siuè sua simplicitate flexus, & Pontificale diadema perosus, de iure suo electionis, in fauorem Phalantæ Decani Gnesnensis spontè cessit, & renunciauit. Quod vbi Ioannes Decanus & Capitulum Posnaniense intellexit, appellationem à denegatione confirmationis Archiepiscopi, & renunciatione Iuris per Petrum Electum suum facta, ad Sedem Apostolicam interposita, nouam diem ad eligendum alterum Pontificem dixit, & in illa Ioannem Archidiaconū Posnaniensem hominem bonæ vitæ & conuersationis concorditer elegit. Cuius cùm à Ianusio Archiepiscopo Gnesnensi peteretur confirmatio, respondit, secundam electionem de Ioanne Archidiacono, propter priorem de Petro Decano factam, monstruosam fuisse & indignam quæ ab eo deberet confirmari. Propter quod Decanus & Capitulum Posnaniense refutationem suæ petitionis in fauorem Phalanthæ existimans procedere, in vocem appellationis prorupit. Qua non obstante Ianusius Archiepiscopus Gnesnēn. præfati Phalanthæ Decani Gnesnensis nominationē confirmauit. Et licet Bendictus Vicarius Canonicalis,

 Colle-


Collecta vocatus, à Capitulo Posnaniensi missus, Ianusſium Archiepiſcopum magnoperè rogaſſet, ſollicitaſſetque ne Phalanthæ munus conſecrationis impenderet; ipſe tamen Ianuſsius precibus Capituli Poſnanienſis obauditis, ipſo etiam Benedicto Collecta verberari iuſſo, præfatum Phalantam Decanum Gneſneñ. in Piſdrenni Eccleſia Parochiali, appellatione non obſtante, in Epiſcopum Poſnanienſem conſecrauit: qui breuiuſculo tempore in Poſnanienſi ſedit Eccleſia per Summum Pontificem Clementem Papam Quartum, ab ea excluſus, confirmatione & conſecratione Gneſnenſis Archiepiſcopi Ianuſij illum non releuante.



NICOLAVS.

IOannes Poſnanienſis Decanus, ſuam & Eccleſiæ Poſnanieñ. per Ianuſsium Gneſneñ. Archiepiſcopum, qui Phalantam Decanum Gneſneñ. in Poſnanieñ. confirmauerat & conſecrauerat Eccleſiam, cum Ioanne Archidiacono & electo Poſnanieñ. Petro Scholaſtico, & Miroſlao Canonico Poſnanieñ. Curiam Romanam veniens, apud Clementem Papam IV. iniuriam depoſuit: & per Thomam Wratiſlauienſem

enſem Epiſcopum, Phalantam Epiſcopum Poſnanienſem citari ordinauit. Qui perſonaliter comparens prouiſionis ſuæ litteras de conſenſu & fa-



uore Boleſlai, Maioris Poloniæ Ducis, apud audientiam ſummi Pontificis exhibuit, & illas per Sedem Apoſtolicam ratificari ſupplicauit. Quas Clemens Papa, de Conſilio Cardinalium, inualidas & parum legitimas reputans caſſauit; & Phalantam omni iure Epiſcopatus Poſnanienſis priuauit: & ipſum ab adminiſtratione præfatæ Ec-


clesiæ amouit. Ioannes insuper Archidiaconus Posnaniensis, Ius suæ electionis intelligẽs & temerarium & languidum, vtpotè qui ab illis electus fuerat, qui iam potestate eligendi, pro ea vacationis vice, perfuncti erant, sponte illi in manibus Papæ cessit, & renunciauit. Clemens autem Papa omne ius Posnaniensis Ecclesiæ videns apud se consistere, Magistro Nicolao Scholastico Cracouiensi, qui inter nuncios, negotium Canonizationis Beatæ Heduigis Ducissæ Vratislauiensis sollicitandi, vnus erat, de Posnaniensi Ecclesia prouidet: & ipsum apud Viterbium de eadem Ecclesia mandauit consecrari. Sedit Annis nouem, & Anno Domini M.CC.LXXIII. moritur; & in Ecclesia Posnaniensi sepelitur: nobilis & natione Polonus de domo & familia Vulpium.



IOANNES I. dictus wyskóvvyec.



Bsumpto morte Nicolao Posnaniensi Episcopo, & in Ecclesia Posaniensi sepulto, Ioannes Wyskóvvyec Canonicus Posnaniensis genere nobilis de domo & familia Lodzia, per electionem Capitularẽ, in sedem Posnanieñ. suffectus est: qui cùm illã añis propè vndecim rexisset, An. Dñi M.CC. Lxxxvi.




quinto Idus Maij moritur, & in Posnaniensi Ecclesia sepelitur. Hic Canonicus Posnaniensis existens propter eius virtutes & merita, & probè actam vitam conformiter eligi meruit; cuius electio accedente Boleslai Calisseñ. & Premislai Posnanieñ. Principis fauore & consensu, à Gregorio Papa X. propter Archiepiscopatus Gnesnensis diuturnam

turnam vacationem, fuit confirmata: & ipse Ioannes Wyszkovviéc à Philippo Gnesneñ. Archiepiscopo fuit consecratus & benedictus sed tardiusculè. Quoniam Philippus præfatus Gnesneñ. Archiepiscopus propter frequentes & diuturnas Romanæ Sedis vacationes, prouisionem suam annis aliquot non potuit, nisi cum lapsu diuturni temporis obtinere.



IOANNES dictus Herbuth aliâs Gerbisch.

IOanni Wiskovvyéc Posnanieñ. Episcopo, Ioannes eiusdem nominis, sed alterius cognomenti Herbuth, aliâs Gerbisch à nonnullis Traditor appellatus, genere & ipse nobilis Canonicus Posnaninesis conformi electione in Sedem Posnanieñ. via scrutinij electus, succedit: cuius electionem Iacobus Svvinka Archiepiscopus Gnesneñ. confirmans, ipsum etiam in Landa Monasterio ordinis Cistercieñ. in Episcopum consecrauit. Sub illius Pontificatu & dissimulatione, Præpositura Santhocensis in prouentibus à collatione & prouisione Posnanieñ. Episcopi abstracta est, per Ottonem longum & alium Ottonem ac Ioannem nepotem eorum Marchiones Brandenburgeñ. & Capitulo Ecclesiæ Soldineñ. applicata:



cuius Præpositus in Clero & populo & in singulis Ecclesijs infra Oderam, Inam, Dravvam, Wartham, & Notes fluuios, constitutis, Ordinaria Iurisdictione vtebatur. Ex quo deinde magnam Diœcesis Posnanieñ. in Svvanthocensi Castellania, & quicquid gentium infra flumina prædicta

H situm

situm est, passa est sui corporis sequestrationem: qui cum illam Annis XII. rexisset, tandem Anno Dñi M.CC. XCVIII. mortuus, in Ecclesia Posnaniensi sepelitur, nobilis de domo & cognatione Nalanczytarum, Secundo Idus Aprilis.




ANDREAS. I.



Succes-




SVccessit Ioanni Herbuth aliás Gerbisch, conformi electione Capitularium, sedē Posnaniensem sortitus, Nobilis genere de domo & familia Zaramba appellatus Andreas Simonovvic, ex patre Simone genitus, per Iacobum Svvinká Gnesnensem Archiepiscopū Anno Domini M. CC. XCVIII. confirmatus & in Posnaniensi consecratus Ecclesia. Hic Wladislaum Lokcek Cuiauiensem ducē, & in Regem Poloniæ vniuersali consensu electum, pro eo quòd apud Maioris Poloniæ agens oram, matronarum & virginum pudicitiā per se & milites prostituebat, & tam Ecclesijs quàm militib⁹ erat onerosus, publicè excommunicauit. Hic etiam ad reuniendam Pręposituram Santhocensem ablatā, maximo in consistorio Apostolico desudauit conatu, animosus Iurium Ecclesiæ suæ defensor. Sedit Annis XIIII. Hic Anno Domini M. CCC. Wenceslaum Bohemiæ Regem cum Iacobo Svvinká Gnesnensi Archiepiscopo, Vislao Wladislauieñ. Ioanne Komka Wratislauiesi Episcopis, in Gnesnensi Ecclesia in Regem Poloniæ coronauit.



 DOMA-

Domaratvs aliâs Domanká.



Simonovvicz Andreæ successorem Episcopo fatis absumpto, Capitulares Posnanienses ordinaturi, electionem celebrant: in qua via scrutinij Domaratum Posnaniensem Decanum, genere nobilem de stirpe & genealogia Grzimalitarum eligunt: cuius electionem

nem quoniam & conformis erat nullo obstaculo impedita, & consensu Wladislai Poloniæ Regis aucta, Ianislaus Gnesnensis Archiepiscopus confirmauit: ipsum etiam Domaratum ad Posnaniensis Ecclesiæ petalum consecrauit & benedixit: qui cùm annis nouem sedisset, languore diuturno correptus occubuit, & in Posnaniensi Ecclesia est sepultus, Anno Domini Millesimo, Trecentesimo, Vigesimo.




Ioannnes III. dictus Dolyvvá.




Conuenientibus Prælatis & Canonicis Posnaniensibus ad futuri Pontificis celebranda comitia, instaurato per viam scrutinij processu, Ioannem Dolyvvá Præpositum Posnaniensẽ, paucis discordantibus eligunt. Erat enim vir humanus & genere nobilis de domo & familia Dolyvvá: ob quam progeniem humói cognomen fuit sortitus: ingenio naturaliter pollens, affectionem, & gratiam hominũ facilè in se committens: cuius electionem Gnesnensis Archiepiscopus Ianislaus confirmauit, & ipsum

ſum in Poſnanienſem Epiſcopũ conſecrauit: qui cùm ſediſſet Annis xv. An. Dñi M. CCC. XXXV. die xvii. Martij moritur, & in Eccleſia Poſnanienſi ſepelitur.



Hic ſtatum agens Pontificalem, & in expenſis & in familia munificum ſe geſſit & liberalem, nonnunquam etiam prodigum, plura expendens pluraque conſumens quàm ſat erat, eaq; prodigalitate vſus, & debitis ſe æreq; alieno inuoluerat; & prouiſionem egenorum, viduarum, orphanorum, cæterarumque miſerabilium perſonarum negligebat.

IOAN-




SVbſtitutus eſt in locum Ioannis Dolyvvá, Ioannes de Kampa genere nobilis de domo & familia Lodzya per Canonicam electionem Anno Dñi M. CCC. XXXV. Qui cùm ſediſſet Annis vndecim, tandem Anno Domini M. CCC. XLVI. moritur & in Eccleſia Poſnanienſi ſepelitur. Qui viuens etſi pro tempore, ſolacijs & hilaritati operam daret, ſingulariter

ter tamen Virgini Mariæ famulabatur: vndè & in illius honorem Prosas compilauit: vnam de Assumptione, quæ incipit, Salue salutis ianua: aliam de Purificatione, quæ incipit Benedicta: tertiam de Sancto Adalberto, quæ incipit, In laudem Summi Præsulis: quartam de Sancto Petro, quæ incipit, Tu es Petrus: quintam de S. Paulo, quæ incipit. - - - - - Item Antiphonam pulchram de Beata Virgine, quæ incipit, Lux clarescit in via. Vir benè literatus, sed in lasciuiam procliuis, lubricitati deditus, & ob id scandalosus.



ALBERTVS I. Dictus Páluká.


POst mortem Ioannis Lodzya, substitutus est Albertus Paluka Præpositus Wladislauiensis & Canonicus Posnaniensis, passus tamen plures instantias & impedimenta. Confirmationem suæ electionis & deinde consecrationem non nisi post biennium, videlicet Anno Domini, M. CCC. XLVII. Die xxvii. Mensis Ianuarij, in Episcopum Posnaniensem potuit sortiri. Qui cùm annis septem in Posnaniensi Ecclesia sedisset, in villa Solecz Anno Domini M. CCC. LV. die xix. Maij moritur, in Ecclesia



Posnaniensi sepelitur, Natione Polonus, genere nobilis de domo & familia Bipennium, in moribus & actionibus suis virtuosus, propter quas in Pontificatum Posnaniensem succedere putabatur.



IOANNES V.



IN locum Alberti Paluka, Capitulares Posnanienses, Pontificem pro die Comitiorum ad id specialiter indicta, substituturi, Ioannem Præpositum Posnaniensem genere Nobilem de domo Dolyvva, scrutatis votis singulorum, Anno Domini M.CCC.LV. concorditer eligunt: qui à Iaroslao Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus & benedictus, sedit, Annis

nis

nis vno de viginti in Posnaniensi sede. Hic decimas manipulares Noualium in Masouiæ Ducatu quas Semouitus Masouiæ & Varsauiensis Dux sui & militarium Iuris facere nitebatur, per medium Kasimiri Poloniæ Regis, & suam sententiam diffinitiuam, pro ipso & Ecclesia Posnaniensi in Rácyaz, xv. Kalend. Febr. M. CCC. LVIII. latam, recuperat. In Villa Otbicovvo Ecclesiæ suæ, ex hidropico morbo, Anno Dñi M.CCC. LXXIIII. die xiv. Mensis Februarij moritur, & in Ecclesia Posnaniensi sepelitur.




NICOLAVS. II.

IN crastino sepulturæ Ioannis Posnaniensis Episcopi, Capitulares Posnanienses, electionis die non indicta, nec absentibus vocatis, fingebant se nonnulli, & signanter Andreas de Choynicza Archidiaconus, & Damianus molendinatoris de Lovvicz Cancellarius Posnaniensis, Præpositum eligere: quod cæteri Prælati & Canonici Posnaniẽses, qui eundem Troianum Præpositum Posnaniensem dignum Pontificio iudicabant, audientes, ipsos & quinq; alios videlicet Ioannem Custodem Gnesnensem, Albertum de Badlevvo Archidiaco-

I 2 num

num Cirnenſem, & Michaëlem de Myeſkovvo Canonicos Poſnanienſes in Compromiſſarios eligunt. Qui poteſtate accepta, non Troianum Præ-



poſitum, vt fingebant, quamuis Archidiaconus & Cuſtos Poſnanienſes & Scholaſticus Gneſnenſis Troianum nominaſſent, ſed cæteri quatuor vocibus præualentes, Nicolaum de Kurnik Præpoſitum S. Mariæ in Cracouia, & Canonicum Poſnanienſem Nobilem de domo Lodzya, eligunt: qui ad Cu-

ad Curiam Romanam in Auinionem ſe perſonaliter conferens, non obſtantibus Regis Poloniæ Ludouici, & Ioannis Archiepiſcopi Gneſnenſis ac Cracouienſis Epiſcopi reclamationibus, & impedimentis litteralibus, à Gregorio Papa Vndecimo obtinuit confirmationem, illicq; conſecratus. Homo laſciuiæ & voluptati deditus: & cùm ſediſſet Annis octo, nulla re memorabili edita, quæ memoriam ſuam produxiſſet ad poſteros, biennio antè priuſquam extingueretur, grauiſsimo Cancri morbo in loco genitalium vrebatur. Quartana deinde febre correptus, & in latere ſciſsura percuſſus, in lingua & gutture adeò vlceratus eſt, vt etiã officio linguæ & loquelæ penitus priuaretur; tot denique languoribus confectus in Curia Eccleſiæ ſuæ Cyazym, Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo octuageſimo ſecundo, vigeſima prima Martij moritur, & in Eccleſia Poſnanienſi ſepelitur. Vir loquax & in altercationes atque lites pluſquam conueniret Pontificali grauitati, pręceps.




NICOLAVS. III.



Epulto corpore Nicolai de Kurnik Poſnanienſis Epiſcopi, Prælati & Canonici

 Poſna-

Posnanienses electione futuri Pontificis indicta, & celebrata, omnibusque tàm præsentib⁹ quàm absentibus ritè & legitimè citatis atq; vocatis, Anno



Domini Millesimo, Trecentesimo, Octuagesimo Secundo, Vigesima nona die Mensis Martij, per viam scrutinij, hæc enim illis cōmodior videbatur, procedendo, Nicolaum Cantorē Gnesnensem & Scholasticum Posnaniensem, genere Nobilem de domo Nalancz virtuosum & modestū, in pauperes libaralem, & misericordiæ operibus deditum, ad Ecclesiæ Posnaniensis regimē sufficiunt & eligunt: cuius electionē Ioannes Suchyvvilk Archiepiscopus Gnesnensis, secunda die Mensis Aprilis, Anno Dñi Millesimo, Trecentesimo, Octuagesimo Secūdo, in Oppido suo Archiepiscopali Znena, iam in grabato, graui languore press⁹ decumbens, instantib⁹ Capitularibus Posnaniensibus, velut iustam & Canonicam concinneq; celebratam, dum nullus appareret competitor, sed nec impeditor, auctoritate Metropolitana & Sacrorū Canonum, iustè & merito confirmat, ipsumque mandat suis suffraganeis in Coëpiscopū & in Confratrem consecrari & benedici. Vir tamen tam virtuosus & incomparabilis, Canonicè in Episcopatum suflect⁹, Canoniceq; illū adept⁹, liuore ambitiosorum, ex illo fuit detrusus. Nec licuit Posnaniensi Ecclesiæ, cum legitimo sponso suo, diututno tempore permanere. Sed in sponsi locū mœchus illi subiectus est, potētia & brachio tàm Ecclesiastico quàm seculari, ab Vrbano Papa Sexto in sua obedientia nominato, qui primus scandalum & schisma, quod Constantiense Conciliū sedauit, introduxerat, exclusus, & à sua legitima sponsa sequestratus.

IOANNES VI.



Molestam & odiosam Ludouicus Hungariæ & Poloniæ Rex habens Nicolai Scho-

Scholaſtici Poſnanienſis electionem, & eiuſdem per Ianuſsium Suchivvilk factam, non petito ſuo regio conſenſu, confirmationem, ſpretum ſe &



contemptum dolens, Vladiſlao Duce Opolienſi, qui Ruski vocabatur, petente, Epiſcopatum Poſnanieñ. Nepoti eiuſdem Ducis Vladiſlai, Ioanni Holith aliâs Kropidlo Præpoſito Sancti Martini in Sczepuſz, iuuenculo in ſtudio tunc Bononieñ. conſtituto, filio Boleſlai Ducis Opolienſis, confert: & ad Summum Pontificem Vrbanum VI. qui Schiſma in Eccleſia Dei ſuſcitauerat, nutrierat, auxerat, litteras mittit, petens illum in Poſnanienſem Epiſcopum promoueri, opportunas. Venit interim perſonaliter Budam ad Ludouicum Regem Nicolaus Electus & confirmatus Poſnanienſis, petens conſenſum, ſed vix poſt diem tertium audientia, licet ægrè, potitus, petitionis ſuæ paſſus eſt repulſam; reſpondente Rege ſe pro viribus eius promotionem impediturũ: & dum idem Nicolaus electus & confirmatus Poſnanienſis, Romam procedendo Taruiſium veniſſet, à Poteſtate Ciuitatis Taruiſiæ, præfato Ludouico Rege ordinante, areſtatus eſt, & nonniſi per plures dies dimiſſus. Nec dum Romam peruenerat, Vrbanus VI. precibus Ludouici Regis Poloniæ, & præfati Ducis Opolienſis Wladiſlai motus, præfato Ioanni Kropidlo, quamuis minorenni & non ſufficientis ætatis, nepotem eum ſuum affinemq; reputans (Aquilam enim ceruleam in campo cœleſtino præfatus Vrbanus VI. quemadmodum & Duces Opolienſes, deferebat pro inſigni) nona Menſis Iunij de Epiſcopatu Poſnanienſi eodem Anno Domini Mileſimo, Trecenteſimo, octuageſimo ſecundo, Pontificatus ſui Anno ſexto, prouidit: qui mandante Ludouico Poloniæ & Hungariæ Rege, excluſo iuſto & legitimo Epiſcopo Nicolao,


colao Posnanienſis Epiſcopatus poſſeſsionem adeptus eſt, & pacificè ipſam Eccleſiam biennio poſſedit. Anno verò Domini, Milleſimo Trecenteſimo, Octuageſimo Quarto, eodem Rege Ludouico promouente, per eundem Vrbanum Papam, ad Eccleſiam Vladiſlauień. quę tunc ex morte Sbiluthi vacabat, velut ad Craſsiorem pinguioremque tranſlatus eſt, &, vero & legitimo electo, Troiano Præpoſito Poſnanienſi, per brachium ſeculare, eodem Rege Ludouico mandante, excluſo; poſſeſsionem pacificam adeptus eſt, præfatæ Eccleſiæ Vladiſlauienſis.



DOBROGOSTIVS. I. Dictus wydrzyoko.

IOanne Kropidlo Duce Opolienſi & Epiſcopo Poſnanień. ad Eccleſiam Vladiſlauienſem tunc per mortē Sbiluthi Epiſcopi Vladiſlauienſis vacantem, tranſlato, per Vrbanum in ſua obedientia vocatum Papam Sextum, & poſſeſsionem Eccleſiæ Vladiſlauienſis XI. Menſis Februarij pacificè nacto, Dobrogoſtius Lázenki de Novvydvvor genere Nobilis de domo & familia Nalacz, Decreto-

creto-rum Doctor Paduanus, ex patre Thomiſlao, Decanus Cracouienſis, & Canonicus Poſnanienſis, ad inſtantiam & interceſsionem Ludouici Po-




loniæ & Hungariæ Regis, per eundem Vrbanum Papam VI. Tertio Nonas Iunij, Pontificatus ſui Anno Septimo apud Neapolim, ſuffectus & prouiſus eſt, ad Eccleſiam Poſnanienſem: illiuſq; pacificam poſſeſsionem, fauore & iuſsione Ludouici Regis, abſq; vlla difficultate, aſſequutus; vir, vt

præ-

præmiſimus nobilis, ſed ob rubedinē oculorum, quæ oculos eius diſtrahebat, à vulgò communi, vocabulum Wydrzyoko ſortitus eſt. Hic cùm Annis Vndecim apud Eccleſiam Poſnanienſem ſediſſet, propter ſeptennale diſsidium, quod inter prouiſum Bonifacij Noni, Ioannē Kropidlo Ducem Opolienſem præfatū,ad Eccleſiam Gneſnenſem per eum prouiſum ab vna, & Wladiſlaum ſecundum Poloniæ Regem & clerum Gneſnenſem partibus ab altera, integro ſeptennio durauerat, qui neglectis Cenſuris Bonifacij Noni ipſum ad Iura Gneſnenſis Eccleſiæ nullatenus admittere volebant,præfato Ioanne Duce Opolienſi de Iure in Eccleſia Gneſnenſi quęſito, ſpontè cedente, Dobrogoſtius præfatus in Curia Romana præſentialem tunc agens, ad inſtantiam Vladiſlai Secundi Poloniæ Regis,per Bonifacium præfatum Papam Nonum, Anno Domini Milleſimo, Trecenteſimo,Nonageſimo Quarto,ſexto Calendas Aprilis, ad Gneſnenſem Eccleſiam tranſlatus eſt:ſibiq; abſolutio & diſpenſatio omnium Eccleſiaſticorum in Regno Poloniæ, qui Cenſuras ſeptenni contempſerant, & irregularitatē contraxerant, commiſſa. Verebatur enim Bonifacius Nonus, ne Wladiſla⁹ Poloniæ Rex, ſi in petitione ſua negligeretur, ad competitorem eius in Papatu, Petram de Luna Benedictum xiij.appellatum, deficeret.

NICO-

NICOLAVS. IIII. dictus Kurovvski.




DObrogoſtio Poſnanienſi Epiſcopo ad Eccleſiā Gneznēn. ex cauſsis quas præmiſim⁹,tranſlato; Nicolaus de Kurovv ex patre Clemente & matre Catharina ex prouincia Cracouienſi oriundus, nobilis de domo & familia Srzenyavvitarum, qui in campo rubeo fluuium

uium Srzenyavva, cruce vertici fluminis superimposita deferunt, ad instantiam & intercessionem Waldislai Secundi Poloniæ Regis per Bonifaciũ Nonum, Anno Domini M. CCC. XC. IIII. sexto Kal. Aprilis prouisus & suffectus est; possessionemq; eiusd. Posnanieñ. Ecclesiæ absq; vlla difficultate consequutus. Vir lasciuus & in terrenam substantiam, solatijs quoq; mundanis, choris, citharis, & tympanis, ad ditandum quoque fratres, consanguineos, & nepotes, deditus, & procliuis: qui cùm annis quatuor in Sede Posnanieñ. sedisset, tandem ad Ecclesiam Vladislauieñ. ex morte Henrici, filij Venceslai Ducis Legnicen. vacantem, Anno Dñi M.CCC.XC. VIII. ad instantiam & intercessionem Wladislai II. Regis Poloniæ prouisus & suffectus est, licet Bonifacius Papa IX. durante schismate in Ecclesia Dei, in sua obedientia sic appellat⁹, Ioannem tropidlo Ducem Opolieñ. à Gnesneñ. & Vladislauieñ. Ecclesia deiectum, omni studio, ingenio, & intercessione ad Vladislauien. Ecclesiam casso labore, conaretur restituere: verùm iusto Dei iudicio impletum fuit in præfato Ioanne Kropidlo, Sanctorum Patrum Vetus Decretum, vt qui prioris Ecclesiæ conditione contempta, ditiorem ambiebat, vtraq; priuaretur.

ALBER-

ALBERTVS II. dictus Iástrzábyec.





NIcolao Kurovvski Episcopo Posnaniensi ad Ecclesiam Vladislauiensem, taliter vt præmisimus, translato; Albertus Iastrzabyec Scholasticus Cracouiensis, ex patre Derslao & matre Christina ex terra & Prouincia Sandomiriensi, & ex vico ignobili, sed per eum nobi-

nobilitato dicto Lubnica, prope Paczánovv Oppidum | sito, & ex progenie Nobili Iastrzabconum ortum ducens & genus, Anno Dñi M.CCC.XC.IX. die XVI. Kal. Mensis Maij, per Bonifaciũ Papam IX. durante Schismate in Ecclesia DEI, Anno eiusdem Bonifacij decimo, ad instantiam & intercessionem Vladislai Secundi Poloniæ Regis, & Heduigis consortis suæ Poloniæ Reginæ, apud quam Cancellariatus officio fungebatur, & in quem propensiori fauore vtebatur, ad Ecclesiam Posnaniensem promotus & prouisus; vir & ipse in cognatos, fratres, & nepotes lasciuus, ad augendam quoque terrenã substantiam cupidus. Hic cùm adhuc puerulus esset, & parens eius Derslaus, ex coniuge sua Christina, ipsum & aliquot filios & filias, in prædiolo dicti vici Lubnicza habitans, sustulisset, videns se plures hęredes relicturum, quoniam ager prædioli sui cultores desideraret, eundem Albertum filium, septimi anni circulum iam adeptum, assumit, & ad Ecclesiam suæ Parochiæ ad Sbaszovvam militarem, pedestri itinere, dessicientibus subiugalibus, gymnasijs agrestibus & villanis imbuendum deduxit, scholisq; erudiendum tradidit, eo sermone prius alloquutum. Trado te, inquit, fili mi, non in Scholarium sed in Episcoporum numerum. Tu autem benedictione mea paterna statum Pontificalem assequu-

assequutus, caue ne vnquam egestatis huius præsentis, in qua me & matrem tuam, & teipsum ac fratres tuos positum vides, obliuiscaris in pompas & arrogantias aliquas delapsurus. Maior enim est, quàm vt tibi illam alicuius temporis possit auferre obliuio. Pontifex autem effectus, & mihi parenti tuo, & loco huic in quo te primùm litteris dedo, hanc beneficij vicissitudinem reddi, vt in loco præsenti Ecclesiam latere vel lapide fabrices, sempiternã mei & tui nominis memoriam testaturam. Sic fatus, iuuenem scholis dat pater, in singulis mandatis obedienter parere pollicentem. Nec vtrumq; opinio fefellit. In Episcopum enim Posnaniensem, paterna benedictione & merito illum adiuuante promot⁹, Anno Dñi M.CCC.vij. Ecclesiam præfatam in Baszovva ligneam, latere coctili fabricauit, picturisq; ornauit. Quam processu dierũ ex Parochiali in Conuentualem, locando in ea Fratres Beati Pauli primi eremitæ transtulit, & transferri ordinauit. Hic insimulatus maximi ponderis thesaurum, ab antiquis scilicet Regibus & Principibus Poloniæ in Ecclesia Posnaniensi, ob necessitates Reipublicæ futuras conditũ, sustulisse; & suæ priuatæ necessitati addixisse: quam sibi vnus ex Vicarijs Posnanieñ. qui per successiones continuas thesauri locum vnus alteri demonstrantium vnicus remanserat, loco demon-


 strantium

strantium vnicus remanserat, loco demonstrato moriturus prodiderat. Hic sub suo Pontificatu collegium Mansionariorũ, in Ecclesia Posnanieñ. instituit & dotauit: felix cui tanti muneris contigit institutio. Hic cùm apud Ecclesiã Posnaniensem Añis quatuordecim sedisset, & omnium ore summis laudaretur & benediceretur preconijs, in ambitionem Cracouiensis Episcopat⁹ incidit; quem consequuturus, Vladislao Poloniæ Rege illum adiuuante, quem frequentibus subarrhabat muneribus, Petrum Wysz eius tunc Episcopum, virum bonum, sanctum, & simplicem, in amentiam illũ cecidisse, & omnis rationis expertem, delirumq́; fingens, assertionemq́; suam apud Ioannẽ de Cossa, scismate durante, in sua obedientia Papã xxiij. appellatum exspones, eademq; assertionem suam per testes falsos & iniquos, quorum maior pars ex Prælatis & Canonicis Cracouiensib⁹ erat, & in quos ipse Petrus Wysz Episcopus singularia beneficia, dona, & gratias contulerat probans, ab Ecclesia Cracouiensi, velut amentem & delirum obtinuit amoueri, Año Dñi, Millesimo, Quadringentesimo duodecimo, die vltima Mẽsis Septembris: & se eodem Anno & die, per eundem Ioannem Papam xxiij. qui processu dierum per Concilium Constantiense iustisime depositus, & ad carceres & compedes damnat⁹ est, obtinuit ad Ec-

clesiam

clesiam Cracouiensem transferri. Ex eo autem tempora, vsq; ad nostra, clerus Polonicus vniuersus, sed & Albertus Iastrzambyec, ob huiusmodi ambitionem, benedictione & laudatione in maledictionẽ mutata, cæpit esse apud laicos execrabilis, vituperabilis, & contempt⁹: & omnes Præfati Alberti Iastrzambyec, virtuosæ, meritoriæ & nobiles actiones, quasi nõ fuissent veræ sed simultaneæ, nec radicibus firmis sed perfunctorijs innixæ, versæ sunt in squallorem, ludibrium, & fœtorem. Frequenter insuper amicorum & consanguineorum Præfati Petri Wysz Episcopi tàm apertis, quàm clandestinis petebatur insidijs, frequenterq́; in eũ coniurationes & seditiones fiebant. Nec mirum: quoniã præfatus Albertus Iastrzambyec rem pestiferã, scandalosam, & monstruosam in Ecclesia Polonica, & in Regno Poloniæ nunquam antea visam aut auditã introduxerat: & re & exemplo per multas ætates sorde sua nocituram: à qua se faciliter continere potuisset, si Episcopatu suo optimo Posnanieñ. contentus, ad deiectionẽ & spoliationem sui Coëpiscopi & confratris, viri alioquin innocentis & sancti, priuata etiam sibi caritate venerandi, tam feruenter non sudasset, post biennium iustiori titulo illum Episcopatum adepturus.

PETRVS II. DICTVS wysz.



SVB eodem itaq; tempore videlicet Año Dñi M. CCC.XII. die xvj. Mensis Aprilis, Ioannes Papa XXIII. schismate durante, Albertum Iastrzambyec de Posnaniensi in Cracouień. transferens, etiam Petrum Wysz Episcopum Cracouień. de Cracouień. transtulit in Posna-


Posnanień. licet ignorantem & inuitum. Adeò enim clandestinè depositio viri simplicis & beati agebatur, vt antequã se falsis criminibus, à testib. subornatis suspicaretur accusari, propria sede exutus & in alienam translatus est. Et licet aliquantisper huiusmodi translationi restitisset, & Vladislaum Poloniæ Regem in dicta, quæ Grodnæ agebatur, personaliter fuisset deprecatus, ne eum à Sede sua eijci permitteret, neque mortẽ senis longùm exspectare censeret; videns tamen animum Regium inexorabilem fore, qui etiam virum nobilem Mroczkonem de Lopuchovv qui vnicus ex consanguineis eius, cæteris omnibus eum deserentibus, pro eo tunc interpellabat, manibus proprijs correptum turri incluserat, cesit furori Regis & iræ, & Cracouiensi Ecclesia sponsa sua legitima in qua annis XX. cũ pietate & religione sederat, deserta, in Posnanień. transijt, flens & eiulans, & vltionem Diuinam suis exclusorib. imprecans. Vir nobilis genere de villa Radolina ex domo Lescitarum, aceruum pro insigni in campo rubeo deferentium, Vtriusq; Iuris Doctor, ex patre, Matuda & matre Margareta, ex Maioris Poloniæ terris ducens genus. In pauperes & egenos, & quaslibet miserabiles personas, non tam liberalis & munificus, quàm profusus. Qui in Concilio Senensi ad reuniendã Ecclesiam Dei, tunc scissam,

 magnis

magnis conatib. iudauit, nondum ab Eccleſia Cracouieñ. detruſus: & magnificũ illic ducendo ſtatum, famam & nobilitatem Regis Poloniæ, notabiliter diffudit: cui Sepulchrum Chriſti, incunabulaq; eius, & præſepe, terram quoq; SanctãChriſti cruore rubricatam, & Ciuitatẽ Sanctam Ieruſalem videre mortalibus oculis contigit. Hic cum annis vix duobus in Eccleſia Poſnanienſi ſediſſet, ſenio & laboribus grauatus, in ægritudinem incidit: quam cum menſibus aliquot pertuliſſet, tandem morbo inualeſcente, in Curia Epiſcopatus ſui Cyazym, Anno Domini Milleſimo Quadringẽteſimo quatuordecimo, die vltima Septembris, omnib⁹ Sacramentis relioſè perfunctus, diẽ obijt; & in Poſnanienſem Eccleſiam relatus, illic accepit Sepulturam.


Priuſquam autem animã exhalaret, Vladiſlaus Poloniæ Rex, qui in propinquo agebat, audiens illum grauiter ægrotare, & intelligẽs ac in animo ſuo reuoluens, quantum facinus in Pontificẽ Dei commiſiſſet, ad illum perſonaliter in Cyazym acceſsit, & flexis genibus antè virum Dei, in grabbato decumbentem, culpam ſuam ſimpliciter profeſſus, delictum in eum commiſſum, humiliter ſibi petiuit indulgeri. Tum ille; Tibi inquit, Sereniſsime Princeps, faciliter omnẽ meam offenſam indulgeo, ſciens te nõ ſuapte, ſed inſtigatione ambitioſa

bitioſa & maleuola, in meam deiectionem pertractum eſſe; deiectorem tamen meum, in iudicium Diuinum iuſtũ voco. Sic fatus Regem dimiſit fletibus perfuſum, fletibus & ipſe madens. Habitũ eſt autem pro explorato, certo, & cõperto, quòd ſi præfatus Petrus Wyſz Epiſcopus, dies ſuos vſque ad tempora Concilij Conſtantienſis, quòd in Anno ſequenti mortem ſuã cæptũ eſt agi, dies ſuos produxiſſet, cum magna ſua gloria, & deiectoris ſui Alberti Iáſtrzambyec ignonimia, ad Sedem Cracouienſem fuiſſet reſtitutus. Dolebat enim vniuerſus Cardinalem cœtus, dolebant & vniuerſi patres conſcripti, in Concilio Conſtantienſi præſentes, & qui illius conditionem nouerant in Concilio Senenſi, virum tam inſignem, à Sede ſua tam indignè & iniuſtè pulſum fuiſſe. Quapropter etiã morte ſua ſequuta Concilium Conſtantieñ. Epiſcopo Anglicano inſtigante, Albertũ Iaſtrzabyec citauerat ad depoſitionem & priuationem, niſi Wladiſlaus Poloniæ Rex, frequentibus interceſsionibus ſuis, abſolutionem ſibi à Concilio impetraſſet.



ANDRE-

ANDREAS II. dictus Lyáskarz.



Acatione Posnaniensis Ecclesiæ & electionis die, sub præsentia Wladislai Secundi Poloniæ Regis tunc Posnaniæ agentis, incidente, accessit ipse Vladislaus Poloniæ Rex personaliter Capitulares, & mitra deposita, vnum ex quatuor, videlicet aut Alexandrum nepotem


nepotem suum ex sorore Ducem Masouiæ filium Semovviti, aut Dominum de Skrzyn Vicecancellarium Regni Poloniæ, aut Andream Lyaskarz Decanum Cracouiensem, & Præpositum Vladislauień. aut Ioannē Pella, Præpositū Cruszvvicień. eligi deposcebat. Capitulares autem habito inter se tractatu, præfatum Andream Lyaskarij de Goslavvice, conformiter quasi inspirati eligūt absentem, & Budæ tunc eum alijs Procuratorib⁹. Regijs negotia Regni Poloniæ contra cruciferos apud audientiam Sigismundi Romanorum & Hungariæ Regis, in quem pars vtraque de alto & basso compromiserat, promouentem. Qui nobilis genere de domo & familia Godzamba, ex patre Lyaskario & matre Dorothea ortum duxit & genus. Hic inter alios Ambascatores Vladislai Regis & Regni Poloniæ in Concilium Constantiense destinatus, celebris opinionis & vitæ Pontifex habebatur. Electionem autem suam quamuis Canonicam & conformem, non nisi Ecclesia Dei vnita & Martino Quinto in eodem Constantiensi Concilio, in Summū Pontificē indubitatū electo, distulit confirmari, sacerdotium suū pollutum iri rat⁹, si schismate durante, Prouisionē ab vno ex cōtendentib⁹ de Papatu accepisset. Vir simplex & pudicus: vitæ quoq; castæ, nitidæ, & exēplaris. Magn⁹ patriæ amator, & qui nihil sciret adūbrare. Raræ

insuper religionis in Deum; pietatis verò singularis in pauperes. Hic relicto Episcopatu, monasticam vitam, apud Monasterium Austriæ Mellicum agere decreuerat successoremque sibi in Posnanień. Ecclesia, aut Magistrum Kozlovvki Sacræ Theologiæ Professorem de domo Vulpiū, aut Miroslaum Præpositum Gneznensem designauerat: sed cùm neque Martinus Papa Quintus cessionem suam reciperet; neque Vladislaus Poloniæ Rex in Nicolaum Kozlovvski aut Miroslaū consenriret, Anno Domini M.CCCC.XXVI. die xxv. Augusti, in paterno castro Goslavvice, quod Episcopus existens latere murauerat dum Annis xv. Mensib. vij sedisset. Ecclesiasticis Sacramentis Viaticatus moritur, & in Ecclesia Posnanień. sepelitur.



MIRO.

MIROSLAVS.




QVamuis autem post mortem Andreæ Lyaskarij Posnaniensis Episcopi Capitulum Posnaniense pro electione futuri Episcopi diem dixisset certum, illa tamen veniente, quoniam Vladislaus Poloniæ Rex Stanislaum Cyolek Cantorem Cracouień. & Regni Poloniæ Vicecancellarium, missis specialibus nuncijs eligi

 vehe-

vehementer, additis minis & terroibus, deposcebat: ab omni electione se tunc continuit. Ex post verò cedendo Regio furori ipsum elegit. Interim verò Martinus Papa Quintus, Romæ Miroslao Kelczonis Pręposito Gnesnensi, & Canonico Posnaniensi, tunc suo Datario, iure suo Apostolico prouidit, & in Episcopum Posnaniensem consecrari mandauit. Qui nobilis de domo Nalancz Decretorum Doctor, ex patre Kelczone de Brudzevvo, & matre Elizabeth genus duxit. Obstante autem Wladislao Poloniæ Rege, nullatenus possessionem Ecclesiæ Posnaniensis habere potuit, licet Martinus Papæ multum efficacissimas litteras pro eo destinasset. Tandem contentione huiusmodi inter Papam & Regem biennio propè vigente, præfatus Miroslaus Episcopus Posnaniensis, cùm annis duob⁹ sedisset, Romæ morte subtractus est Anno Doñi Millesimo Quadringentesimo Vigesimo Septimo, die Vndecima Mensis Februarij Pontificatus Martini Papæ Quinti Anno Decimo: & apud Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Populo, in parte dextra altaris maioris sepultus.

STA-

STANISLAVS dictus Cyolek.





ABsumpto apud Vrbem Miroslao posnanień. Episcopo, Vladislaus Rex Poloniæ, missis specialibus ad Martinum Papam Quintum Nuntijs & litteris, Stanislao Cyolek Regni Po loniæ Vicecancellario Cantori Cracouiensi, de Ecclesia Posnanień. obtinuit non sinè magnæ difficultatis interpositione prouideri. Cui de eodem Episcopatu Anno Domini

M.CCCC.


M. CCCC. XXVIII. die viij Aprilis fuit Romæ prouisum,& ipse ex post per Sbigneũ Episcopum CracouiensemAnno eodem M.CCCC.XXVIII. die Solis xxix Augusti in præsentia Vladislai Regis, in Monasterio fratrum Minorum in Noua Ciuitate Korczyn,in Episcopum est consecratus, genere: nobilis de domo & familia taurorum seu Cyolkonum, ex terra Sandomircensi & oppido Zelechovv, ex patre Stanislao milite robusto de Ostralanka Palatino Warsauien. Poëtica arte naturaliter pollens,propter quam in illum Vicecancellariatus Regni, licet ingenio parum valeret, & in iocos leuitatesq; nonnullas foret procliuis, fuit collatus. Sedit annis circiterX. mensib.vj.& Año Domini M. CCCC.XXX.viij die xviij Nouemb. apud Posnaniam moritur, apud Ecclesiam eandem Posnanieñ.sepultus. In facetias procliuis, in arte Poëtica studiosus: multos libros insignes, & nobilia Clenodia Ecclesiæ Posnanieñ.reliquit:in omni tempore quo Pontificabatur illum morem obseruans, vt cuicunq; personæ, nec probatæ,sed nec alias visæ vacationem cuiuscunq; beneficij nuncianti, & illud sibi conferre petenti, nulla deliberatione præmissa conferret. Solus hic ex Pontificibus Polonicæ Ecclesiæ Concilio Basiliensi intereat, magnificumq; statum tenens, eti ãexæquias Vladislao II.Poloniæ Regi,AñoDñi M.CCCC.

M.CCCC.xxxiiij. vltima Maij apudGrodek morienti,liberales exequias sumptib.proprijs(Regius enim Ambasciator inter alios erat, celebrauit. Multas aduersitates ex Basilæa rediens à Iudice Posnanieñ. Abraham de Zbaszino, de domo Nalancz pro eo, quòd eum tanq; fautorem hæresis Bohemicæ, & sacerdotes rebelles & hæresim Bohemicam disseminantes in Sbaszino commorantes,excommunicabat,passus: adeò vt insidias quæ sibi structæ erant, euitaturus, in Cracouieñ. vrbe securus aliquanto tempore habitaret. Huius Pontificis,si bene considerare velis, & promotioni,& fato,octauus subseruiebat numerus. Nam & Anno Dñi M.CCCC.xxviij.& viij. die Aprili.n Episcopũ Posnanieñ. sequuta fuit & confirmatio suo & consecratio:Año verò Domini M.CCCC. XXXVIII. die xviij. Mensis Nouembris prouenit,extinctio. &c.



ANDREAS

Andreas III. dictus Bninski.



Epiphaniæ festo, in diem Solis tunc sextam Ianuarij cadente, in Annum futurũ videlicet M.CCCC. XXXIX. pro quo Comitia Pontificalia per Ioannem Pella de Nyé-Wysch, Decanum Vladislauiensem, Canonicum & Administratorem Posnaniensem, indicta erant adueniente; bifaria electio, via scrutinij procedendo, celebrata est. Wyszota enim de Gorka Præpositus, Matthias Dryia Decan⁹, cum nonnullis alijs, Nicolaum Lassoczki Decanum Cracouiensem nobilem de Armis Dolanga; præfatus verò Ioannes Pella Administrator, cum maiori parte Capitularium Andream de Bnin Secretarium Regium, Cantorem Lenciciensem & Canonicum Posnanień. eligunt: & quamuis Vladislaus Tertius Poloniæ Rex, suis litteris pro Nicolao Lássocki, apud Eugenium Quartum Papam Bononiæ tunc agentem intercesßisset, ipse tamen Eugenius, nuncijs Andreæ Bninski, videlicet Ioanne Luthkonis, & Ioanne Tvvardovvski Canonicis Posnanień. sollicitantibus, neglecto Nicolao Lassocki, cui propterea quod partes Concilij Basiliensis promouebat, erat infensus, Andreæ Bninski die Lunæ vigesima prima Mensis Iulij Año eodẽ, in Bononia de Ecclesia Posnaniensi prouidit. Qui Anno subsequenti per Vincentium Archiepiscopum Gnesnen. in Dominica Quinquagesimæ, in Ecclesia Collegiata Callisßień. fuit in Episcopum Posnaniesem ordinatus: licet insuper Nicolaus Lassoczki Decanus Cracouień, appellationem à prouisione huiusmodi ad Conciliũ Basiliense interposuisset, non tamen fuit illam prosequutus. Fuit autem præfatus Andreas Bninski natione Polonus

 ex op-

ex oppido Bnin, ex patre Nicolao & matre Margarita, nobilis de armis Lozia ortum ducens, vir modestus, & mansuetus, staturæ breuis, capillo nigro, vitæ pudicæ & nitidæ, in clericos impudicos, suæ Ecclesiæ suæq; Dœcesis parum seuerus & rigidus: multorum tolerans scandala & vitia, ne illos sibi efficeret infensos. In fratres & nepotes lasciuus: quibus cùm multa bona temporalia de facultatibus Ecclesiæ coëmisset, domum suam, genus & familiam amplificaturus, retulit exinde fructũ acerbum, & vidit adhuc viuens, bona coëmpta, nepotibus morientibus, ad generos, in extraneas domos deuoluta. Fabricauit is castrum nobile in Crobya, ex coctis lateribus. Item Ecclesiam Sanctæ Mariæ collegiatã, & Curiam Episcopalem in Posnania: item Ecclesiam in oppido Dolsko. Item Ecclesiam in Kozlovv: item Ecclesiam in Bnin: item Ecclesiam in Crobya. Sub eius quoque Pontificatu, Nicolaus Kopidlovvski miles de Armis Drya, fabricauit etiam ex cocto latere in oppido Episcopali Slesino pulchram Ecclesiam. Item Ecclesiam in villa sua Episcopali in Masouia in Sdbikovv. Item in oppido suo patrimoniali in Szmigel. Abrahæ Sbaski Iudicis Posnaniensis de Armis Nalancz improbos & erroneos conatus, extollentes se contra religionem Christianam, brachio germanorum suorum Petri

tri & Alberti, compescuit: & tam fidei, quàm sui prædecessoris, Stanislai Cyolek, iniuriam vindicauit. Præfati siquidem hi duo nepotes sui, Petrus & Albertus, familiæ numerositate glomerati, & Prætorium Posnaniense ingressi, præfatum Abraham Sbanski Iudicem, inter alios Maioris Poloniæ Barones ad mensam considentem, probris vituperijsq; ad quæ nec mussitare audebat, aggressi, exertos mucrones in caput illius vibrauerant, proculdubiò necaturi illum, nisi caput sub mensam celerrimè condidisset. Intelligens insuper septem Presbyteros suæ Diœcesis labe Hæretica inquinatos virus Bohemicum in oppido Sbaschin, prædicationibus suis ad populum sub tuitione & defensa præfati Abrahæ publicè defendere, cum nongentis armatorum equis, habens in suo comitatu patruum Germanum Petrum de Bnin Castellanum Gnesnensem, aduenit, & portas oppidi clausas offendens, illud vallauit, nec prius obsidionem soluit, donec, duobus sacerdotibus pestem hæreticam dogmatizantibus, per fugam eua dentibus, quinque residui illi præsentati sunt: quos exinde in Posnaniam deductos & de hæresi conuictos, igne publico damnauit. Liberalis fuit & munificus in pauperes ac inopes: vtpotè qui & virginibus pannosis dotes, viduis orphanis,

 & ali.

& aliqua calamitate oppressis pecuniaru solatia, clandestina administratione, præbebat. Liberalis itidem in suam Posnaniensem Ecclesiam: qui illi duos calices aureos, quinque casulas de Axamento auro intexto, cum crucib⁹ latis & amplis margaritis vnionibusq; ornatas. Item plures casulas ex purpuris varijs donauit. Liberalis & vt verius dicam, prodigus in omnes suæ Diœcesis Ecclesias, ea singulari largitione, quæ de nullo vnquam Pontificum, Regum & Principum legitur, refulgens: qui pro Anno quolibet, quibus præsidebat, calicem fabricabat argenteum, quo per annum vnum vnus, alicui pauperi Ecclesiæ illū lapso anno donabat: & sic faciebat per singulos annos, quibus gerebat pettalum Pontificale. Propensior is fuit in consanguineos quam Pontifici congruebat, quibus possessiones Ecclesiæ committebat gubernandas, à quib⁹, eo dissimulante, coloni vsq; ad destructionem nonnullarum villarum, opprimebantur. Cum autem annos triginta, octo, menses sex in Ecclesia Posnaniensi cum pietate sedisset, plenus bonis operibus & eleemosinis, annos duo de octoginta vel circa natus, non aliquo morbo sed fract⁹ senio, Sacramentis Ecclesiasticis munitus, testamento condito, admonens Canonicos, vt omni humano & Regis timore deposito, meliorem in locum suum ad Pontificatum deligerent, inter

inter se charitatem seruarent, scandala vitarent; statuta quæ iurarunt obseruare, tenerent, & non vt sæpè contingebat, violarent; cum magno Cleri & populi Posnaniensis ac totius Diœcesis luctu & desiderio, in domo Dñi Custodis Posnaniensis circa Ecclesiam sita, die Martis quinta Ianuarij, Anno Dñi M. CCCC. LXX.IX. hominem exuit, & in Capella S. Andreæ die Saturni Nona Mensis eiusdem, honore Pontifice digno sepelitur, in sepulchro quod sibi ante annos viginti, cogitans se semper moriturum; de marmore, aurichalco superducto elaborari iusserat. Capellam autem præfatam, ab alijs fabricatam, ipse Sancto dedicauetat Andreæ, & dotem in eam contulit de Mensa Episcopali, & pluribus ornamentis eam viuens insigniuit. In sepulchro eius huiusmodi exstat duplex inscriptio:



HIC IACET SEPVLTVS ANDREAS DE BNIN. EPISCOPVS POSNANIEN: CANONICE PER CAPITVLVM TEMPORE SERENISS: PRINCIPIS D. VLADISLAI HVNGARIÆ ET POLONIÆ REGIS ELECTVS ET PER R.P. VINCENTIVM ARCHIEP.


 GNESN:

GNESN: ET PRIMATEM CONSECRATVS. ET QVIA HI TRES PIE ET MANSVETE VIXERVNT VNVM AVE MARIA DEVOTE PRO SE.




Alia.

HIC SEPVLTVS IACET PATER REVERENDVS IN CHRITO ANDREAS D. G. EPIS. POSN. ANNO DNI. M.CCCC. LXX. IX. DIE MARTIS IN VIGILIA EPIPHANIÆ. ORIVNDVS DE BNIN. CVIVS ANIMA VITAM HABEAT PERPETVAM ET REQVIESCAT IN SANCTA PACE. QVIA COMPATIENS ATQVE BENIGNVS DONANTE DOMINO SEMPER EXTITIT.



VRIEL

VRIEL DE GORKA.



DIES Benedicti Confessoris, quæ fuit dies XXI. Aprilis Mensis, & in Dominicam Quadragesimalem Lætare cadebat, Prælati & Canonici Posnanien. ad celebrandum Generale Capitulum, pro eligendo futuro Pontifice, in frequenti numero conuenerunt. Interfuit & diei illi Iacobus Gneznen. Archiepiscopus, ab Vriele de Gorka Præpo-

Præposito & Administratore Posnaniensi, & à toto Capitulo Posnanień. quò per præsentiam suam omnes diuisionis in electione euitaretur monstruositas, inuitatus. Interpositæ enim in animis eligentium, vafræ quædam suggestiones, adhortationes, & ingenia fuerant, sub nomine Regio factæ, vt non alius quàm Stanislaus de Kuroszvvanki Regni Poloniæ Vicecancellarius postularetur. Qua re turbati Capitulares cõsilij inopes, ad Iacobum Archiepiscopum Gnesneń. recurrunt; cuius persuasione roborati animatiq; Vrielem de Gorka præfatum Administratorē suum, Gnesnensem & Posnaniensem Præpositum, Canonicum Cracouień. Apostolicum in Regno Poloniæ Collectorem, per viam inspirationis vt asserebant, eligunt: quamuis iam fuerit dudum antè in Conuentione generali Petricouiensi pro Octaua Epiphaniarum quæ fuit xij. Ianuarij tenta, per Kasimirum Poloniæ Regem, iure suo Regio in Posnaniensem Episcopum publicè designatus. Cui etiam ad petitionem Lucæ de Gorka Palatini Posnaniensis parentis sui, litteras exspectatiuas patentes, pro consequēdo huiusmodi Posnaniensi Episcopatu quamprimùm vacaret, secundum quod fama vulgauerat ante annos aliquot, asserebatur concessisse. Nobilis hic genere natione Polonus de domo & familia Nauium, ex patre Luca, Palatino, vt prædiximus Posnaniensi & matre Beatrice filia Dobrogostij de Schamotuli Castellani Posnanień. vir gracilis, oculis nigris, statura mediocris, crispatū coma habens caput, in consanguineos & ipse lasciuus, epilepsi & pluribns alijs ægritudinibꝰ obnoxius. Qui missis ad Sixtum Papam Quartum proprijs nuntijs, videlicet Nicolao Sebastiani Canonico Posnanień. electionem suam die xxvi. Mensis Maij confirmari eodem Anno obtinuit, per Iacobum Gnesnensem Archiepiscopum ad Sedem Posnanień. die Solis xxii. Septembris in Ecclesia Posnaniensi benedictus,

Huc vsque Seriem Episcoporum Posnaniensium Ioannes Dlugossius aliâs Longini, Canonicus Cracouień. perduxit: qui Anno Domini M. CCCC. LXXX. die xxix. Maij, diem clausit extremum: Quæ sequuntur, ea nobiscum Reuerendiss. D. Iacobus Brzezmezki Suffraganeus Posnaniensis communicauit.

VRiel de Gorka Præpositus Gnesneń. & Posnaniensis in Episcopum electus est die Solis, 21. Martij. Anno 1479.

Mors bonæ memoriæ Reuerendissimi Dñi Vrielis de Gorka Episcopi Posnanień. Anno M. CCCC. XC. VIII. die xxiiii. Ianuarij aliâs in profesto

festo conuersionis beati Pauli Apostoli, memoratus Dñs Vriel Episcopus Posnanieñ. in tenuibus & in oppido dicto Vari, Cecinensi Diocæsis Prouinciæ Prageñ. mortem obijt, cuius corpus allatum & sepultum est in Ecclesia Cathedrali Posnanieñ. feria quinta ipso die beati Petri ad Cathedrã, aliâs xxii. Februarij. cuius sepulturæ interfuerunt Prælati & Canonici Ecclesiæ Posnanieñ.

In monumento eius ex aurichalco elaborato, hæc excisa sunt:


PRæsulis hoc sita sunt Vrielis ossa sepulchro,
Qui fuerat gentis stella corusca suæ
Gloria Pontificum Regni decus hic, & alumnus
Virtutis, sanctæ & Religionis honos.
Gorka ortus patria, Palatino Stemmate natus;
Clarior è claris ipse refulsit auis.
Quorum inter tumulos iussit situare sepulchrum,
Iuncta vt cognatis ossib. ossa forent. Anno Domini 1498.

Sub effigie eius marmorea hæc sculpta sunt Anno Domini 1578.

ILLVSTRIS AC REVERENDVS D. VRIEL COMES A GORKA EP. POSN. VIR PIVS ET MVLTAR: ECCLESIAR. FVNDATOR ET LOCVPLETATOR. SENATOR PRÆCLARVS ET DE FAMILIA SVA OPTIME MERITVS OBIIT ANNO M.CCCC. XC. VIII. xxiiii. IAN.

IOAN.

IOANNES VII. dictus LVDBRANSKI.





Ortuo olim Beatiss. Patre Dño Vriele de Gorka Episcopo Posnaniensi, successit feliciter Reuerendiss. Dñs Ioannes Ludbranski, Decretorum Doctor postulatus & translatus de Ecclesia Plocensi, ad Ecclesiã Posnanieñ. Hic nobilis è familia Godzyembarum quæ pinũ

pro insigni defert, ad Ecclesiam suam in Ciuitate Posnaniensi solennem ingressum habuit, Anno Dñi 1499. die 24. Ianuarij. Postea Anno Domini M. D. I. ad Alexandrum electum Poloniæ Regem, cũ Andrea Rosa Archiepiscopo Leopoliẽsi, cæterisq; magnatibus, Brestã missus, iusiurandum ab eo & proceribus Lithuanis, de seruandis pactis conuentis exegit, & regnum ei detulit. Anno verò M. D. XIII. Sigismundum I. Poloniæ Regem Posnaniæ splendidè excepit & lautissimè tractauit: cùmque ibidem Barbara Regina, filiam Heduigim (quæ postea Ioachimo Marchioni Brandeburgen: nupsit) esset enixa, magni ponderis & pretij, aurea, & argentea vasa, ad puerperium ipsius cohonestandum eidem liberalissimè donauit. Anno M. D. XV. hunc ipsum Sigismundum Poloniæ Regem ad celeberrimum illum Cæsaris & Regum Viennensem conuentum, honorificè comitatus est. In Senatorio suo munere obeundo, vir diligens & patriæ amantissimus fuit, prudentia, doctrina, & consilijs optimis abundans: in eo tamen reprehensione non caruit, quòd impatiens & in excandescentiam adeò propensus fuit, vt vel minimis rebus in Senatu offensus, valdè morosum, & quandoq; ridendum etiam se alijs præberet: Sed næuum hunc, naturæ bonitas, vitæ integritas, & laudatissimæ in functione Episcopali partes, facilè obliterabant. In pauperes, & egenos scholares præsertim, liberalissimus; ab omni fastu & elatione remotus. Opera publica multa & egregia, ad posteritatis memoriã transmisit. Cathedralis Ecclesiæ ambitum, Curijs Canonicorum & ædibus Vicariorũ inclusis muro cinxit: ipsam Ecclesiam laminis cupreis texit, & multis in locis restituit: paramentis, ad Diuinum cultum decentius peragendum, auro, gemmis, & lapidib. preciosis exornatis, eandem locupletauit. Gymnasium pro studiosis ædificauit. Templum Diuo Stanislao, cum adiuncto S. Gertrudis hospitali, vbi nunc Patres Societatis IESV Collegium habent ædificauit. In oppido Casimiriensi ad memoriam S. Ioannis qui vnus erat è quinq; fratribus Martyribus Polonis, egregiam Ecclesiam & Monasterium F. Minorum de obseruantia construxit, plurimasq; per Diœcesim suam Ecclesias restaurauit, & rebus necessarijs instruxit. Vir planè sempiterna memoria dignus. In cuius insignia Andreas Cricius, Poëta insignis, qui postea fuit Archiepiscop⁹ Gneznensis, tali epigrammate eleganter lusit;


Illa ego sum nitidis pulcherrima pinus in hortis:
Me nunquam Boreas aut fera mutat hyems.
Clara fui cùm me Pan gessit: clarior at nunc,
Quando Pontificum gloria magna gerit.

 Talis

Talis ac tantus Pontifex, cùm in ore omnium & admiratione versaretur, ætate & laboribus pro Ecclesia & Republica confectus, in oppido suo Episcopali Bucouiensi, magno sui apud omnes desiderio relicto, Anno Domini M.D. XX. feria quarta infrà Octauas Ascensionis, placidè in Domino obdormiuit: cuius corpus ad Ecclesiã Cathedralem Posnaniã relatum, lapideo monumento, quòd successor ipsius Reuerendus D. Petrus Tomicki extruxit, conditum est; cum inscriptione huiusmodi.


IOANNES DE LVBRANCZ EPISCOPVS POSNANIENSIS DIVINIS ET HVMANIS LITERIS IVRIBVSQVE AC SINGVLARI PRVDENTIA ET MAGNITVDINE ANIMI PRÆDITVS DE REPVBLICA DE ECCLESIA SVA DEQVE PAVPERIBVS ET STVDIOSIS OPTIME MERITVS DECESSIT ANNO ÆTATIS SVÆ LXIIII. SALVTIS M. D. XX.

PETRVS DE THOMICZE CRACOVIEN: ET POSNANIENSIS EPISCOPVS AC R. P. VICECANCELLARIVS SVCCESSOR POSVIT.



PETRVS

PETRVS TOMICKI.




Etrus Tomicki ex antiqua & Nobili familia nauium, vir ob eruditionem, prudentiã, & vitæ integritatẽ Regibus Poloniæ cumprimis charus, cùm esset Episcopus Premisliensis & Regni Vicecancellari⁹, mortuo Ioanne Lubranski Episcopo ad Posnaniẽsem Ecclesiã translatus est. Fuit insignis elegantiorũ ingeniorũ fautor, & patron⁹: præcipuè verò Magni illius Stanislai

nislai Hosij, qui gentem Polonam, ad Cardinalitiam dignitatē euectus, mirificè illustrauit, in minoribus, promotor præcipuus. Mores illius, & laudatissimo Senatore dignas dotes, Andreas Cricius, præstantissimus Poëta, egregio Encomio expressit, quod hîc apponere visum est.

MAgnanime Antistes, tota spectabilis ora
Quam vaga septeno circuit Vrsa boue.
Quæ tibi nascenti fulserunt sydera, vel quæ
Illuxit patriæ stella benigna tuæ?
Cùm te fluctiuagæ nauclerum è stemmate Cymbæ
Regni vt dirigeres fata dedere ratem.
Cui pulchrum charites vultum, cui pectora Pallas,
Doctaq; cui format Nuntius ora Deûm.
Castalio puerum lauit quem fonte Thalia,
Cæsaris atq; Iouis cui sacra iura patent.
Quem raro exemplo virtus euexit: at vno hoc
Vicit fallaces ambitionis opes.
Cui cùm Pontificis, cùm publica functio regni
Cessit: vt hic demum est conspicienda fides?
Res perrara quidem, sed in ampla rarior aula:
Cumq; bonus raro est, dum licet esse malum.
Te tamen vtile nil, nec amici caussa, nec hostis,
Cùm licet, à recta flectere lance queunt.
Plus bona, quàm priuata, tibi sunt publica curæ,
Et studium in patriæ dirigis omne decus.
Negligis in tantis opibus solatia vitæ:
Non est cura grauis, pro pietate, tibi.
Cùm timeant dites alij, tibi lingua benigna est,
Et faciles aditus, qui venit, omnis habet.
Non vendis fumos, nec capias dona, nec auram
Vulgi, corq; aufert dira nec ira tibi.
Si qui obstare tuis meritis laudiq; videntur
His nocuisse potes, nec nocuisse cupis.
Qui prodes cunctis, agis omnia corde fideli;
Firmus amicitia, firmus es officio.
Nec delator habet quo te corrumpere possit,
Anxia nec versat pectora suspicio.
Defendis miseros, procuras præmia dignis:
Nullius est verbo, sors male versa, tuo
Non litis turbasue cies, internaq; bella
Quæ liuor, fastus, ambitioq; parit.
Laus minor est fateor, malè non gessisse: sed istis
Proh dolor, in nostris maxima temporibus.
Omnia cùm sursum miscentes atque deorsum
Tendimus in præceps nec mala nota monent.
Sed cùm te ex animo seruum, clarissimus orbe
Rex Sigismundus habet, consilioq; suo.
Cùm te suspiciunt cuncti, super æthera tollunt,
Qui norunt rectum quid sit, & esse volunt.
Cùmq; tuas animi dotes mirantur, & ipsas
Corporis externi: famaq; læta tua est.
Expedit, vt nimium meritis & sanguine nostra
Debita Musa tibi parcius ista canat.
Ne minuat laudem deuinctio tanta clientis,
Extenuentq; suam scripta propinqua fidem
Sed quod communes voces, quod & ipsa precatur
Publica res, cuius pars quota & ipse, precor.
Viue decus patriæ, nec te nisi sera senectus
Auferat, & dignis mors inimica viris.

Idem Poëta, factus iam Secretarius Regius, cùm Episcopus Tomicius, quem auunculum suum vo-

P

tum vocat, apud Eccleſiam Poſnanienſem verſa-
retur, Aulæ querela ob abſentiam eius introdu-
cta, inſigne tanti viri probitatem, ſequenti carmi-
ne prædicat:


Aula tui, Præſul, magni, digniſsime, Regis
Abduxiſſe meum te queror omne decus,
Hei mihi quiſquis adeſt, qui te præſente videbat,
Vix benè me quòd ſim Regia, noſſe poteſt.
Omnia ſic ſinè te prorſus mutata videntur,
Nec quò ſe tutò conferat hoſpes habet.
Conſilium friget, frigent reſponſa, forumq;
Per rabulas ſolis vertitur omne dolis
Harpyæ ſatagunt peſtes, tetriq; Simones,
Perdita nunc technis libera vota ſuis.
Ipſa autem virtus veluti canis vda ſubintrans
Balnea, me viſens hiſcere ſpreta nequit.
Diſcedunt hominum querulæ ſine fine cohortes;
Non vni pietas & tua ſæpè ſubit.
O quoties alta proſpectans triſtis ab arce
Et tua clauſa domus atria celſa videns.
Quæ patuere prius magnis repleta cateruis,
Diuitibus, miſeris, hoſpitibusq; viris.
Tota platæa, mihi mœſta ac deſerta videtur,
Et Dominum tacita voce vocare ſuum.
Ipſa etiam mea damna videns, ſine Præſide, tanto
Vix poſſum lachrymas continuiſſe meas.
Te rogo, quem merito cumulaui ſemper honore;
Et tibi iam toto nomen in orbe dedi.
Tolle moras reducemq; mihi te redde cupitum,
Hoc ego, & hoc tua te patria tota petit.
Non fuit hac vllus tam lætus in vrbe triumphus,
Quàm fiet reditus nunc, mihi crede, tuus.

Regis igitur aula, tam deſiderato Vicecancellario diu carere non potuit. Nam quemadmodum anteà à Premiſlienſi ad Poſnanienſem; ita à Poſnanienſi ad Cracouienſem Epiſcopatum Anno Dñi M. D. XXIIII. mortuo Conarſcio Epiſcopo tranſlatus eſt: quo in loco conſtitutus, nihil maiori ſtudio allaborabat, quàm vt ſibi viros doctos & egregios, qui ſibi in publicis muneribus obeundis adiumento eſſent, adiungerent: vndè & Petrum Miſcouium (poſtea Epiſcopum Cracouien.) humanitate ſua eò pertraxit, vt à Ioanne Latalski Gneſnenſi Archiepiſcopo deficiens, in illius ſe familiaritatē daret: qui mutationē hanc ſibi plurimùm profuiſſe, Cancellariatu & Canonicatu Cracouienſi auctus, lepido dicto teſtabatur: quod Cricius ita carmine reddidit;

Ampla dum puppi veherer, per vaſta vagabar
Aequora, non aliter quàm vagus Aeolides.
Vt primùm exilem licuit conſcendere Cymbam
In portum veni: iam ratis ampla Vale.

Cùm in Sede Cracouienſi annos ferè vndecim, magna cum ſui nominis gloria, exegiſſet, Anno Dñi M. D. XXXV. feria ſexta antè feſtum Omnium Sanctorum, mortuus quemadmodum in Poſnanienſi, ita & in Cracouienſi Epiſcopatu Ioannem Lataſcium, ſucceſſorem habuit.

IOANNES VIII. dictus LATALSKI.



PEtro Tomicio ad Epiſcopatum Cracouienſem tranſlato, Ioannes Latalski, gente Pravvditarum & antiqua familia, quæ Comitum de Labiſino titulum gerit, oriundus, in Epiſcopatu Poſnanienſi ſucceſsit. Qui primùm Secretarius Regius, poſtea Reginæ Elizabethæ

zabethæ Cancellarius factus, ampla & luculenta Sacerdotia obtinuit. Nam vno eodemque tempore Gneſnenſis, Cracouienſis, Poſnanienſis, & Lancicienſis Præpoſitus fuit. Aſpirabat tunc ad hunc ipſum Epiſcopatũ Poſnanienſem Andreas Cricius, vir inſigni eruditione, facultate præſertim Poëtica excellens; ſed fauore Reginæ Bonæ, cuius nutu ac renutu tunc plerumq; Nominationes Regiæ peragebantur, hunc ipſum Ioannem Latalski, ſibi antelatũ adeò moleſtè tulit, vt ſcriptis adReginam epigrammatibus eum Bromium ſiuè Bacchum nominaret, eò quòd propter bibacitatem iam antea paſsim in Aula, Kuffel vocaretur. Se verò Phœbo aſsimilans, querebatur, iudicio Palladis (ſic enim Reginam vocabat) à Lyceo ſuperatum. His non obſtantibus, Latalſcius Epiſcopatum adeptus, ſolemni cæremonia, cum magno comitatu, Poſnaniam die 17 Auguſti Anno Dñi 1525. ingreſſus, ad Eccleſiæ huius gubernacula decem annis ſedit. Poſteà verò, eadem Regina Bona promouente, ad Epiſcopatum Cracouienſem tranſlatus eſt Anno Dñi M.D.XXXV. eiq; litteræ breuis Apoſtolici, antequam Gneſnã ad imponendum pallium Archiepiſcopale præfato Andreæ Cricio, ex Epiſcopatu Plocen̄. in Archiepiſcopum Gneſnen̄. ſuffecto, mandato ſedis Apoſtolicæ Proficiſceretur, ex Vrbe allatæ fue-

 runt.

rum. Quamobrem paulo post Cracouiam profectus, possessionē Ecclesiæ adijt: quo tempore quid accideret, Cricius tali Epigrammate expresit.

Venerat antè aram templi Latalicius empti,
Munifico cupiens sacra litare Ioui.
In qua Stanislai argentea stabat imago
Diui Sigismundi nobile Regis opus.
Mira quidē sed vera canam: Se clausit imago
Ipsa suis tabulis nullius auxilio.
Nec satis hoc: tabulis correptus cereus ijsdem
Decidit, & læsit pontificale caput.
Exponant varij variè ista licet; tamen ipse
Exponi sensu simpliciore velim
Sobrius ebriolum timuit; ne magna phalerni
Pocula, complere cogeret ipse sibi.

Postmodum cùm Cricius hic, Archiepiscopus Gnesnensis factus diem extremum obijsset, Anno Domini M. D. XXXVII. ita volente Sigismundo Poloniæ Rege, in Ecclesia Metropolitana, illi Ioannes Latalski succesit: Atq; ita, trium Ecclesiarū, quarum Præpositus olim fuerat, progressu temporis, Episcopus creat⁹; fortunæ blandientis vicissitudines expertus est. Porrò cùm in Primatis & Metropolitana dignitate triennium exegisset, in Skvvyernyevvice die 29 Augusti Anno M. D. X L. Ætatis suæ L X X V I I. hydropisi mortuus, & in Ecclesia Gnesneñ. sepultus est. Posteaquam in illo ætas & tempus inuidiam extinxet, iudicatus est vir singularis virtutis & humanitatis, omnibus beneuolens, affabilis, in subditos omnes excellentis pietatis, Reipublicæ amator studiosus, & ædificiorum Archiepiscopus, partim incendio, partim vetustate collapsorum hilaris restaurator.

IOANNES IX. dictus, DE Ducib. Lithuaniæ.



Postea-



Osteaquam Ioannes Latalski, ex Posnanień. ad Cracouiensem Ecclesiam migrauerat; Illustrissimus Dominus Ioannes ex Ducibus Lithuaniæ, Palatinus, & Hæres Schavvlēsis & in Ianuszovvepolyc &c. Sigismundo I. Poloniæ Rege procurante, Episcopus Posnaniensis designatus est: qui Anno Dñi, M. D. XXXVII. die xxiiii. Martii, ab oppido Kostrzyn in quo noctem transegerat, Ciuitatem Posnaniensem, magna Procerum & Nobilium asistentia ingressus, Ecclesiæ Cathedralis possesionem adijt. Fuit Princeps egregijs animi & corporis dotibus præditus, pietate erga Deum singulari, & virtutibus Episcopo dignis conspicuus: cùmque omnium in se oculos conuertisset, ac maximam spem præclaræ administrationis, sibi apud omnes concitasset, diutina febri quartana vexatus, nondum Anno integro in Episcopatu expleto, maximo cùm omnium bonorum luctu, non sinè veneni suspicione, diem clausit extremum Anno Dñi, M. D. XXXVIII. die 18. Februarij. Erat staturæ satis proceræ, vultu decoro, & facie Heroica, quæ proximè lineamentis nonnullis ad Sigismundum Regem accedebat, barba prolixa subnigri coloris. Extat inter Andreæ Cricij monimenta, ænigma de eo conscriptum, in hunc modum.

Et

Et pater, & genitrix, & Vitricus, atq; Nouerca
Dic vni atq; vno tempore qui fuerant?


SOLVTIO.

Vir mulierq; olim, natum genuere soluti
Nupserunt post hac, prole manente, alijs.
Hoc mirere tamen, quod vitricus atq; Nouerca,
Quam pater & genitrix, occubuere prius.

Ad sensum carminis melius explicandum, sciendum est; quòd Sigismundus Primus Rex Poloniæ, aliquot Annis, antequam Diadema Regni consequutus esset, fuit Dux Glogouiensis in Silesia, per fratrem Vladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem, creatus: in quo principatu administrando, præclarè & cum summa Silesitarum beneuolentia se gesit. Illic agens, vsus est familiariter muliere Silesitana Nobili, Catharina de Thelnic: ex qua genuit filium Ioannem, quem postea Episcopum creauit, & scribi vocarique eum, ex Ducibus Lithuaniæ instituit. Electus postea idem Sigismundus & creatus Poloniæ Rex, amicam illam Catharinam dimisit. Eam Andreas de Koscyelecz Castellanus Woyniceń. & Regni Poloniæ Thesaurarius, vir cæteris in rebus prudens, amore & consuetudine mulieris captus, matrimonio sibi copulauit, ac post paucos annos ex dysenteria mortuus est. Rex etiam ipse

Q Sigi-

baram Hungaram ex domo Trincinia, filiam inclyti Stephani Comitis Scepusieñ. Palatini Trãsyuaniæ, hominis prædiuitis & victorijs Turcicis clari. Quæ quidem Regina breui post coronationem secundo partu filiolâ editâ mortua fuit. Sic mortuis Koscielecio Vitrico, ac Nouerca Regina Barbara; superstites remansere, pater Rex, & Catharina mater, cum eorum filio, Ioanne, ex Ducibus Lithuaniæ nominato; cui simul vni, vnoq; tempore, & Pater, & mater, & Vitricus, atq; nouerca fuêre.



Stanislavs II. dictus Olesniczki.


Mortuo Episcopo Ioanne de Ducibus Lithuaniæ, datus est illi successor, Stanislaus de Oleszinca, filius Ioannis Subiudicis Sandomiriensis: qui Anno Dñi M. D. XXX. VIII. die Solis xv. Decemb. in Schaczovv Diœcesis Posnanieñ. electus, à Reuerendissimo in Christo Patre Dño Iacobo Episcopo Plocensi, astantibus illi duobus Suffraganeis, in Episcopum Posnaniensem consecratus est. Annoverò insequenti M. D. XXX. IX. Sabbatho antè Dominicam, Iudica, ad Ecclesiam veniens, cùm optimi pastoris & Episcopi indicia non obscura dedisset, febribus continuis exhaustus, Sacramentis Ecclesiasticis procuratus, rebusque suis legitimè dispositis, eodem Anno, die XXVII Aprilis, placidè in Domino obdormiuit, in Ecclesia Posnaniensi sepultus: in cuius lapideo monumento, tale incisum exstat Epitaphium;

STANISLAVS OLESSZNICKI VIR DOCTRINA PRVDENTIA MAGNANIMITATE INTEGRITATEQVÆ INSIGNIS CVM ESSET HVNC EPISCOPATVM POSNANIENSEM PRO MERITIS SVIS ADEPTVS SEDISSETQ. IN ILLO ANNVM VNVM FATOR. INVIDIA OBIIT MAGNO DE SE APVD OMNES DESIDERIO RELICTO.

ANNO Dñi M. D. XXX. IX.

DIE XXVII. APRILIS.






VAcante ſede per obitum Stauiſlai Oleſ-ſnicki Epiſcopi Poſnanienſis ad nominationem Regiæ Maieſtatis Anno Dñi M. D. XXXIX. die vi. Auguſti, ex Epiſcopatu Chelmenſi, in Poſnanienſem poſtulatus & tranſlatus eſt Reuerendiſsimus in Chriſto Pater, Dominus Sebaſtianus Braniczki, ex Nobili & Antiquiſsima Korczakorum familia oriundus: qui

qui Anno inſequente M. D. XL. die x. Maij, ad ſponſam Eccleſiam Poſnanienſem, cum ampliſſimo frequentiq; comitatu acceſsit. Vir non minus pietate, & vitæ integritate, quàm eruditione, & Iuris Ciuilis ac Eccleſiaſtici ſcientia clarus, de patria req; publica optimè meritus. Qui cùm annis quattuor Eccleſiã Poſnanienſem magna cum prudentiæ laude adminiſtraſſet, podagræ morbo, quo aſsiduè conflictabatur exhauſtus, Anno Domini M. D. XLIIII. Anniuerſaria ſuæ tranſlationis die, videlicet vi. Maij, in Oppido Láskarzevvo, ad extrema deuenit: vbi Sacramentis Eccleſię debita cum veneratione perceptis, rebuſq; ſuis ritè ordinatis, maximo cum dolore omnium, præſertim pauperum, oppreſſorum, & iuſtitiæ egentium, quorum defenſorem, ſemper ſe præbebat acerrimum, liberalem, & inuictum, vitam hanc tranſitoriam, ſicut Dño placuit, cum æterna commutauit: in Eccleſiamq; Cathedralem Poſnanieñ. die v. Iunij inſequentis dilatus, in Sacello Manſionariorum humatus, in pace quieſcit, cum hoc Epitaphio.

HIC SEPVLTVS IACET REVERENDISS. DOMINVS SEBASTIANVS BRANICKI EPISCOPVS POSNANIEN: MORTVVS DIE VI. MAII. ANNO M. D. XLIIII.


Item

EPITAPHIVM REVERENDISSIMI SEBASTIANI EP. POSNANIEN:



V qui nostra subis visurus templa viator,
Hic hic exiguo tempore siste pedem.
Conditus hoc Branicius est sub marmor Præsul,
Funera tunc quoq; sunt, ritè peracta sua.
Hic postquàm fuerat claris genitoribus ortus,
Splenduit insigni mox probitate puer.
Indè arsit iuuenis magno virtutis amore,
Summaq; tunc coluit relligione DEVM.
Fœlix idcircò ad magnum peruenit honorem,
Atque senex factis claruit ipse bonis.
Iustitia celebris, nulli pietate secundus
Ac dulcis patriæ verus amator erat.
Sæpius ille cibum quos dira premebat egestas,
Pupillis miseris auxiliumq; tulit.
Hunc non ambitio, fastus non ipse mouebat,
Hic nec perpetuò sollicitabat opes.
Semper dicendi studium formamq; secutus,
Et sciuit leges iuraq; Sancta fori.
Sedquoniam humanis incerta potentia rebus
Intereunt fauis ordine cuncta suis.
Quamobrē hunc statim rapuit mors pallida nobis
Et cœlis animam reddidit illa simul.
Discite fortunæ cuncti contemnere sortem,
Non vos incautos obruet atra dies.

Andreas Przeclavvski Decanus Posnanien.
benefactori suo.







NNO Dñi M. D. XLIIII. die vltima Augusti, congregati apud Ecclesiā Posnaniensem Dñi Capitulares, ad Nominationem Regiæ Maiestatis, elegerunt in Pontificem Magnificum Dñm Paulum Dunin Wolski, protestatione tamen prius facta, de animo non incurrendi pœnas excommunicationis, quòd contra Sanctiones Canonicas Regia Maiestas, homi-

nem merè laicum & ſecularem illis nominauerit. Hic ex nobili & peruetuſta Duninorum familia ortus, Regni Poloniæ Cancellarius & Capitaneus Goſtinenſis fuit. Mortua demum vxore, ex qua filios quinque, filias ſex ſuſceperat, ſic vt præmittitur, ad Epiſcopalem dignitatem, Regijs auſpicijs, peruenit: & litteris ſuæ Prouiſionis ex vrbe allatis, ordinibuſque ſacris ſuſceptis, & conſecratione peracta, Anno inſequenti M. D. XLV. die xx. Menſis Aprilis, ex Oppido Srodenſi, vbi noctē duxerat, ſolemni cæremonia Poſnaniam ingreſſ⁹, Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit. Vir non tam eruditione, quam tamen mediocrem habuit, quàm vitæ bonitate ſingulari præditus. Qui cùm per triginta ferè continuas Hebdomadas, è febri quotidiana, paralyſi, cæteriſq; alijs varijs ac grauibus infirmitatibus, in Curia Epiſcopali & hypocauſto maiori atrij ſuperioris, lecto affixus decubuiſſet. Anno Dñi M.D. XLVI. die xix. Februarij Sacramentis Eccleſiæ munitus, magno de ſe apud omnes deſiderio relicto, deceſsit. Corpus in Cathedrali, feria quinta poſt Cineres, iuxta murum, in capite Sepulchri olim Ioannis Lubranski tumulatum, monumento caret: quod Petrus Dunin Wolski filius eius (qui & ipſe Regni Cancellarius & Epiſcopus Plocenſis fuit) niſi morte ſubitanea præuentus fuiſſet, poſiturum ſe receperat.

BENE-

BENEDICTVS ISDBIENKI.






POST obitum Pauli Wolski Epiſcopi, ad diem ſecundum Maij Anno eodem M.D.XLVI. apud Eccleſiam, Dñi Capitulares cùm conueniſſent, ad nominationem Regiæ Maieſtatis, elegerunt in Epiſcopum Poſnanienſem Reuerendiſsimū Dominum Benedictum Iſdbinski nobilem de familia Roſarum. Qui

R Cantor

Cantor Cracouień. Cancellarius Gneſnen. Canonicus Poſnanień. Regi Sigiſmundo cùm eſſet valdè charus, virtute & probitate, ad hunc dignitatis gradum viam ſibi aperuit. Factus Epiſcopus cùm emergentem tunc Hæreſim indies augeri animaduerteret, omni cura diligentiaq; prouidebat, ne peſtiferum hoc virus, in Diœceſi ſua & Ciuitate Poſnanienſi latius ſerperet: qua in re non pœnitendã illi operam nauauit Paulus Sarbinius ordinis Prædicatorum Hæreticæ prauitatis Inquiſitor acutiſs. Ipſe quoq; Epiſcopus Vitæ integritate, prudentia, & tuendæ Catholicæ veritatis zelo ſingulari ita enituit, vt Hæreticorum conatus, vel ipſa auctoritate, quam innocentia morumq; grauitas illi conciliauerat, facilè retunderet. Qui cùm Eccleſiam Poſnanień. ſumma cum laude per ſeptennium adminiſtraſſet, Anno Dñi M. D. LIII. die xviii. Ianuarij, continua infirmitate exhauſtus, febri acuta diebus aliquot ſuperueniente, antequam de reb. diſponere poſſet, in ſua Cyazimenſi curia, è viuis ſublatus eſt, pijs omnibus de optimi paſtoris obitu, maximè dolentib. In Eccleſia Cathedrali Poſnanień. in Capella Manſionariorum in dextra parte ſepultus, reſurrectionẽ exſpectat. In ſepulchro huiuſmodi exſtat inſcriptio;

BENEDICTVS ISDBINSKI EX GENTE ROSAR. D. G. EPISC. POSN. APRIMIS HONOR. SVORVM CVNABVLIS DIVO REGI SIGISMVNDO CHARVS CONSILIO ET I.V. SCIENTIA INSIGNIS IN LEGIB. REGENDIS DEXTERITATE AC IN DICENDO LIBERTATE SINGVLARI PRAEDITVS ECCLESIAE DEFENSOR AC PROPVGNATOR ACERRIMVS ET VT IN EA ORDINE AC DECENTER OMNIA FIERENT EXQVISITISS. MORITVR ANNO AETATIS SVAE LXV. EPISCOPATVS VERO VII. INCARNATIONIS DOMINICAE M. D. LIII. DIE XVIII. IAN. CVI INTESTATO MONVMENTVM HOC NEPOTES SVI PIETATIS ERGO POSVERVNT.




ANDREAS CZARNKOVVKI.



MOrtuo Benedicto Isdbienski, ſucceſsit in Epiſcopatu Poſnanień. Nominatione Regia & Capituli electione concurrente, Andreas Scholaſticus Cracouień. & Illuſtri & antiquiſiſsima Czarnkovviorum, ſtemmatis Nalencz familia progeneratus: qui decurſis primæ ætatis tyrocinijs, in Italiam profectus, Pataiuj primùm deindè Bononiæ, Lazaro Bona-

mico, vnà cum magno illo Stanislao Hosio Cardinali Varmień. (quem in omni vita sanctissimè coluit) eloquentiæ, cæterisq; disciplinis, magno



cum fructu operam dedit: vndè in patriam Anno M. D. XL. reuersus, Vilnam ad Regis aulam veniens, cùm magnum indies ingenij sui specimen ederet, ad Ferdinandum Romanorum Regem primùm, deinde ad Isabellam Reginam, collabentibus iam Hungariæ rebus, à Rege Sigismundo ablegatus, fidem, diligentiam dexteritatemq; suã adeò comprobauit, vt paulòpòst ad Pontificem Maximum ad Carolum V. Imperatorem, legatione decreta, & feliciter peracta, nomen amplissimum consequeretur. In quo fortunarum suarum cursu, absq; aliqua eius culpa, seruitorum eius nequitia, tumultus Cracouiæ exarsit, & Academia dispersa, studiosi omnes vrbe concessêre: quæ res non minùs ipsum Czarnkouium, quàm Regem quoque Sigismundum Augustum, qui Cracouiæ tum præsens aderat, insigni mœrore affecit. Rebus postea compositis, post plurima seruitia Reipub. impensa, Czarnkouius Episcopatu Posnaniensi auctus, Anno Dñi M. D. Liij. die ix. octob. ex arce Kurnik, Ciuitatem magno splendore ingressus, Ecclesiæ Cathedralis possessionem adijt: in cuius administratione, nihil in eo, præter propriã ipsius incolumitatem, desiderabatur. Nam continuis articulorum & podagræ doloribus, vsq; ad commiserationem oppressus, quantum per temporis iniquitatem licuit, Hæresim, quæ Synagogas, per ædes Nobilium priuatas, aperiebat, oppugnabat; & cùm aperta vi, magnitati resistere minus integrum illi videretur, pacis studia sectatus, ex Academia Cracouiensi, Benedictum Herbestum insigni pietate & eruditione virum, (qui Canonicatu Posnaniensi auctus, Societati IESV

 postea

postea nomen dedit) & Gregorium Samborita-
num, Professoris amplis stipendijs Posnaniam e-
uocauit: qui adiũctis sibi egregijs nonnullis viris, in Collegio Lubransciano planè iam desolato, iuuentutem litteris honestis, & pietate simul imbuerent: ac erumpens Hæreticorum dogma, proposita veræ fidei Catholicæ doctrina, labefactarent: quod non infeliciter illi cessit, quandoquidem nõ pauci, ex nobilitate præsertim, à via veritatis aberrantes, Herbesti diligentia, ad Ecclesiæ vnitatem sunt reuersi. Ad extremum Episcopus hydropisi & febri hectica consumptus, in Oppido patriæ suæ Czarnkovv, benè rebus omnibus dispositis, die IX. Mensis Iulij, Anno Dñi M. D. LXIJ. à Suscepto Pontificatu, nono, in Domino obdormiuit: & in Ecclesia Posnaniensi in Sacello Cortzbokorum, quod est iuxta portã meridionalem positum, die XI. Mensis Augusti sepultus est: in cuius eleganti monumento, huiusmodi exstat elogium.


ANDREAS CZARNKOWSKI D.G. EPI. POSN. EX ILLVSTRI ET ANTIQVISSIMA CZARNKOVIOR. FAMILIA DIVO OLIM SIGISMVNDO REGI AC FILIO EIVS AVGVSTO CHARVS INPRIMIS LEGATIONIB. CVM APVD PONT. MAX. TVM APVD IMP. CAROLVM ET REGEM ROM. FERDINANDVM INSIGNIS INGRAVESCENTE ÆTATE CVM DIV MVLTVMQ. PODAGRA CONFLICTATVS HÆRETICIS ETIAM AFFECTA VALETVDINE FORMIDABILIS POST DIVTVRNOS DOLORES DISSOLVI A CORPORE ET VIVERE CVM CHRISTO CVPIENS MAGNO SVI APVD OMNES DESIDERIO RELICTO DECESSIT AN. DOM. M.D. LXII. DIE IX. MENSIS IVLII. ÆTATIS SVÆ LV.



ADAMVS KONARSKI.

IVstis funebribus Andreæ Czarnkovvio Episcopo de more persolutis hoc eodẽ Anno M. D. LXII. ad nominationem Sigismundi Augusti Poloniæ Regis, per vniuersale Capitulum, electus est in Episcopum Posnaniensem R. D. Adam Konarski, Præpositus Posnanieñ. & Canonicus Cracouieñ. & quidem absens cùm in Regno Neapolitano, legatione perfungeretur. Hic è nobili & vetusta Habdankorũ gente, patre Georgio Konarski, Palatino Calisieñ. natus, ingenuè & liberaliter educatus, litte-
risq;

risq; humanioribus benè instructus, ingenij felicitate, morumq; elegantia, magnum sibi nomen in aula Regia comparauit. Quamobrem à Rege



Sigismundo Augusto ad Paulum IIII. Pontificem Maximum primùm, deinde ad successorem eius PIVM IIII. Orator designatus, obedientiam Regis nomine, maxima cum dignitate illi detulit. Deinde secundò in Italiã missus, cùm apud Philippi Catholici Hispaniarũ Regis in Regno Neapolitano ministros, negotia tractaret, & recuperationem bonorum mobilium, post obitum Bonæ Reginæ relictorum, vrgeret, accepto de sua electione nuntio, eam Pontificis Max. auctoritate confirmari obtinuit: ibidemq; in Vrbe ordinatus & consecratus, ab Episcopatu tantisper ab esse coactus est, dum negotia, quæ propter difficultates non exiguam temporis moram deposcebant, ad optatum exitum deduceret. Quod diligentia, & in rebus gerendis insigni dexteritate postmodum, magna cum sui nominis gloria, perfecit, ingenti auri argentiq; signati summa, ac preciosa Regiaq; suppellectili requperata. Rebus itaque feliciter confectis, in Poloniam redijt: & Varsauiæ primùm, deinde Parcouiæ in Comitijs Regni generalibus, Legationis suæ summam Sigismundo Augusto Regi exposuit, thesauros recuperatos tradidit, ac productis Rationum codicillis, perq; Regiam Maiestatem approbatis, sibi ac posteritati de perpetua securitate prouidit. His curis eliberatus, curato aliquantulum in Cyazym ex triennalibus continuis laboribus ægro corpore, ad pastoralem suam vocationẽ conuersus, diu desideratam suo gregi præsentiam exhibuit: & ex villa sua Glussyna, die 30. Augusti Anno Dñi M. D. LXIIII. post Nominationem ad Episcopatum, secundo, Posnaniam feliciter, splendidè ac sumptuosè

ptuosè ingressus, publicáq; omnium gratulatione solenniter exceptus est, patre Palatino sene, apud Diuæ Barbaræ ædem, filio Episcopo (quæ rara felicitas est) occurrente,& in amplexus eius cum ingenti lætitia,ruente.In specula domus Domini constitutus, piorum & Doctorum virorum consuetudine libenter vtebatur: & sponsam suam Ecclesiam sæpius visitans, quæ ad eius curam & decorē pertinebant, sollicitè procurabat. Splendorem Pontificia maiestate dignum, in domo, mensa, habituq; exteriori conseruabat: inter hæc omnibus affabilis,magis amari quàm timeri à populis sibi subiectis exoptans. Hosium Cardinalem,sanctitatis, & eruditionis eius non vana opinione commotus, singulari veneratione prosequebatur: per litteras sæpissimè de ijs, quæ ad iuuandam Ecclesiam & Remp. pertinebant, cum eo conferebat: ex industria etiam ad eum salutandum, paucis comitatus, & habitu incognito in Prussiam excurrit,vt Collegium Societati IESV, quod Brunsbergæ primùm laudatiss. ille Cardinalis erexerat,perlustraret;ad cuius exemplar ipse quoq; suum Posnaniense, quod iam animo conceperat, formare posset: quod paucis pòst annis egregiè prętitit, insigni Patrū contubernio apud Ecclesiam Diui Stanislai excitato & dotato: vndè vberrimus ad totā Maioris Poloniæ prouinciam fructus

fructus redundauit. Nam & Clerus ad vitæ integritatem,& iuuentus ad optimarum disciplinarum studium,& populus ad Diuini & Sacramentorum frequentationem,est reuocatus:quibus rebus effectum, & maior indies à Sathanæ Synagoga,ad fidei Catholicæ vnitatem defectio fieret,& maximo cum religionis augmento etiam nunc fiat.Sigismundo Augusto Rege mortuo cùm Henricus Valesius Andegauensium Dux, Caroli IX. Galliarum Regis frater, in Regem Poloniæ electus esset, ad eum in Regnum adducendum, Conarius Episcopus Princeps legationis, duodecim alijs magnatib⁹ illi adiunctis,designatus est: quod munus in Gallijs,summa cum nominisPoloni gloriaac dignitate sustinuit. In oppugnāda etiam ibidem impia Hæreticorum Confœderatione,quam iuramento noui Regis aduersa factio confirmari petebat, magnanimum, intrepidum,& qualem EpiscopumCatholicum fieri decebat,se præstitit. In reditu cùm bonā argenteæ & domesticæ supellectilis partem, cum familia præmisisset, eam per prædones publicos direptam,apud Abbatiam Fuldensem in Germania amisit: quod damnum excelso animo patienter tulit, & Reip. condonauit. Henricum Regem in Poloniam aduentantem, in oppido Bucouiensi primùm, deindè Posnaniæ splendidè excepit, & lautissimè tractauit.

 Cæterùm

Cæterùm cùm natura non satis firma esset valetudine, eam legationibus hisce, præsertim Gallica iniquissimo animi tempore peracta, penitus fregit & labefactauit; maximè verò in Comitijs Cracouiensibus, quæ coronando Regi paulò post coacta fuerant, varijs curarum & conturbationum molestijs agitatus, in morbum incidit: quo vario & multiplici diu conflictatus, febri deinde quartana exceptus, indies magis ac magis viribus destitui cœpit. Henrico Rege in Gallias elapso, cùm omnia in Regno sursum ac deorsum miscerentur, ne Reipub. periclitanti deesse videretur, exiguam valetudinis iacturam ducebat, dummodo aliqua ratione patriæ salutem repræsentare posset. Quamobrem ad Conuocationem Varsauieñ. quæ circa festum S. Bartholomæi indicta fuerat, corpore valdè debili profectus, commotione morbum ita auxit & exacerbauit, vt in medio itinere coactus fuerit hærere: ac cùm vi morbi sæuiente, neq; progredi, neq; regredi posset, tandem vix in lecto Cyazemiam comportatus, non ita multò pòst, propter summam ventris intemperiem, & caloris debilitatem corpore extenuato, exhausto, nec amplius vim febris sustinēre, oppressus Spiritum Dño reddidit, Calendis Decembris Anno Dñi M. D. L X X I I I I. cùm in Episcopatu annos tredecim laudabiliter exegisset. Corpus

Posna-


Posnaniam insequenti Anno M. D. L X X V. die xvii. Ianuarij delatum, in Cathedralis Ecclesiæ Sacello, quod iuxta portam Meridionalem, in ordine secundum, Groditiorum vocatur, honorificè marmoreo tumulo conditum est. Cuius animæ DEVS Omnipotens misereatur.

In monumento talis est inscriptio;

REVERENDO DOMINO ADAM KONARSKI DE KOBELINO GENT. ABDANKO EPICOPO POSNANIENSI SENATORI OPTIMO REIPVB. AMANTISSIMO PIO PROBO CONSTANTI INTEGRO DOCTO MANSVETO ALIISQVE VIRTVTIBVS APPRIME EXCVLTO VARIIS AC DIFFICILIBVS REGNI LEGATIONIBVS APVD MONARCHAS ET PRINCIPES EVROPÆOS SVMMA CVM LAVDE FVNCTO CELEBERRIMOQVE IESVITARVM CONTVBERNIO POSNANIÆ EXSTRVCTO AC DOTATO DENIQVE ACCERSENDI ET DEDVCENDI REGIS HENRICI INTER COLLEGAS PRINCIPEM LOCVM SORTITO CHARISSIMAE TANDEM PATRIÆ PERICLITANTI ET RELIGIONI NVTANTI IN COMITIIS VARSCHAVIENSIBVS OPEM FERRE ACCELERANTI IN ITINERE FEBRI ACVTA CIAZIMI CALENDIS DECEMBRIS. AN: DOM: M.D. LXXIIII. EPISCOPATVS SVI XIII. EXSTINCTO ANTISTITI SVO EX PRÆSCRIPTO CONDICILLORVM.

S 3 LVCAS

LVCAS A KOSCYELEC.



PRopter interregnum, quod post inopinatũ abitũ Henrici Regis in Gallias, Polonorũ rationes perturbatas reddiderat, Posnaniensis Ecclesia duobus ferè annis cum dimidio, caruit Episcopo. Anno tandem Dñi M.D. LXXVII. R. D. Lucas à Koscyelec, gente Ogonczyk, ad nominationem Stephani Poloniæ Regis, postulat⁹, & ex Premisliensi in Posnanieñ. Episcopatu translatus, die VI. Maij per Procuratores Ecclesiæ possessionẽ adijt; deinde, eodẽ Anno, die XXII. Decemb. ipsemet Posnaniã nobilissimo comitatu stipatus, ingressus est. Inito Episcopatu, cùm Hæretici, libros quosdã erroribus refertos, & typis Posnaniæ excusos, palàm spargere in vulgus cœpissent; ipse Episcopus officio, nominiq; nobilissimæ familiæ suæ, quæ ab Ecclesia denominatur, optimè respondens, huiusmodi pestiferos libros, in potestatem redactos publicè comburi fecit, typos abstulit, & in chalecographum seuerè animaduertit prohibitione facta, ne simile quid in posterum aggredi, absque suo permissu tentaret. Stanislao de Gorka Palatino Posnaniensi absque hęredibus defuncto, cùm ad Czarnkouiorum familiam bona illius deuenissent; & Hæretici Gorcanũ palatium non procul ab Ecclesia Parochiali in Ciuitate Posnaniensi positum, in quo sua conuenticula per annos fere triginta peragebãt emere, & in Synagogam perpetuam stabiliẽdam conuertere, modis omnibus allaborarent, occasionẽ nefarij huius cœtus dissipandi nactus Episcopus, auctoritate sua impediuit, ne emptio huiusmodi, quæ Ecclesiæ Dei plurimùm incommodare posset, vnquam coalesceret, deditq; operam, vt Senatus Posnaniensis, domo illa empta publicum Vrbis scandalum amoueret, conuentu impietatis in

angulos

angulos viteriores commigrante. Paucis deinde annis interiectis, cùm Episcopus aduersa semper valetudine conflictaretur, ex consilio medicorũ ad Thermas Ioachimicas vel Bohemicas profectus, sanitati recuperandæ vacabat, quàm cùm loco meliore constitutam videret, Posnaniam reuersus est: vbi post quintum decimum reditus diem, Anno Domini M. D.XC.VII. in ipso S. Annæ festo aliâs XXVI. Iulij, Spiritum exhalauit; cùm triduò antè post violetum iteratæ paralysis symptoma, loquelam & dextræ partis sensum amisisset. Nihilominus Sacramentis præsertim pœnitentiæ & extremæ Vnctionis quantum fieri potuit, procuratus, & ad deuotè moriendum à præsentibus Prælatis & religiosis quibusdam viris incitatus, satis euidentia deuoti ac præparati animi signa demonstrauit. Aderant enim circa agonem ipsius Reuerendi Dñi Iacobus Brześnicki suffraganeus, Lucas Widzirzevvski Custos, Stanislaus Kluczevvski Canonicus, Albertus Emporinus S. Mariæ Magdalenæ Præpositus, duo itidem patres ex Societate, ac religiosus Frater Michaël ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctor, familiaris eiusdem Confessarius, vnà cum socio Monastererij Posnaniensis, morientem confirmantes, ac continuis precibus ipsum adiuuantes.

Inscriptio

Inscriptio super tabella argentea deaurata, in tumba affixa huiusmodi est;


ILLVSTRI. AC. REVERENDIS: IN. CHRISTO. PATRI. ET. DOMINO. LVCÆ. A. KOSCIELEC. EX. ANTIQVISSIMA. PROSAPIA. NATO. SINCERITATE. LIBERALITATE. AC. INSIGNIB: SENATORIIS. VIRTVTIB. APVD. OMNES. PARITER PROBATISSIMO. PIE. IN. CHRISTO. POST. PARALYSIS. ITERATVM. VIOLENTER. SYMPTOMA. DEFVNCTO. DIE. XXVI. IVLII. SANCTÆ. ANNÆ. DEIPARÆ. VIRGINIS. MATRIS. SACRO. CIRCA. HORAM. XI. IOANNES. KOSCIELECKI. EX. FRATRE. GERMANO. STANISLAO. CASTELLANO. BIDGOSTIENSI. NEPOS. PATRVO. BENE. MERENTISSIMO. MOERENS. HOC. MONIMENTVM. POSVIT. ANNO. M. D XC. VII. VIXIT. ANNOS. LVIII. MINVS. DIEBVS. XVI. PRÆFVIT. ECCLESIÆ. CATHED: ANNIS. XXI. A. NOMINATIONE. SERENIS: REGIS STEPHANI. PRO. COMITIIS. TORVNENSIB. PARVM. NON. COMPLETIS. REQVIESCAT. IN. SANCTA. PACE.

IOANNES X. TARNAVVSKI.

IOANNES eius nominis Decimus, Lucæ Koscielecio in Episcopatu Posnaniensi successit. Qui ex antiquissima nobilissimaque Rolitarum gente, Petro Vexillifero Lanciciensi natus, ac liberaliter educatus,

T

catus, in Italiam profectus, ingenij præstantia, clarissimæ familiæ suæ decus ita propagauit; vt non



solùm à laudatissimo & sempiterna memoria digno Præsule Stanislao Carnkovvio (qui ex Cuiauiensi Episcopo, ad Archiepiscopatũ Gnesnensem posteà euectus, plurimùm Religioni Catholicæ & Reipublicæ Polonæ profuit) multùm diligeretur & promoueretur; sed etiam propter egregias animi dotes, Serenissimis Stephano Primo, & moderno


derno Sigismundo Tertio, Poloniæ Regibus, cùmprimis charus & acceptus esset. Dignitates deinde publicas capessens, Secretarius Regius, Cancellariæ Regens, & paulò post Reuerendarius Regni factus, prudentiæ, integritatis, & in promerenda omnium beneuolentia laude singulari, ita excelluit, vt Alberto Baranouio ad Episcopatum Plocensem euecto, à Serenissimo Sigismundo Tertio Rege, in Procancellarij munere successor daretur: quod ille in magna temporum difficultate & varietate, mira dexteritate, feliciter administrauit, & eidem ad adeundam hæreditarij Sueciæ Regni possessionem profecto, præsens cum auctoritate adstitit. Vndè reuersus, Luca Koscielecio rebus humanis exempto, Posnaniensis Episcopus factus, officium boni pastoris sedulus obiuit, Ecclesiam Cathedralem multis in locis restaurauit; eius Chorum picturis exornauit. Palatium Episcopi vetustate penè consumptum restituit, ædificijs auxit, & in meliorem formam redegit. Quibus operibus intentus, dum longè maiora meditatur, Hieronymo Rosrazevvio Anno Iubilei 1600. in Vrbe defuncto, ad Ecclesiam Vladislauiensem transfertur. Postremò Stanislao Carnkovvski Archiepiscopo Gnesnensi in senectute bona, Anno Dñi 1603. è viuis sublato, dum hæc in lucem edimus, in eius locum suffectus, ob maxi-

marum rerum vſum, Eccleſiæ Catholicæ zelum, & patriæ charitatem ſingularem, omnium bonorum ſpem de ſe meritò conceptam auget, eum in hoc ampliſsimo & ſupremo Metropolicæ dignitatis gradu, Diuina vocatione conſtitutum, & primæ Sedis huius in Polonia præeminentiam, & in Republica Primatis ac primi Principis auctoritatem & dignitatem ita conſeruaturum; vt & Sacroſanctæ auitæ Religionis, & Reipublicæ pax & ſecuritas, prudentiſsimis eius moderatiſsimisq; conſilijs integra conſeruetur. Quod faxit ipſe Deus æternus: qui principibus de bono publico ſollicitis, optimas cogitationes immittere, & ad eaſdem perficiendas vires ac robur addere conſueuit. Aſſumptus ad Eccleſiam Poſnanienſem, Anno 1597. Translatus ad Vladiſlauień. 1600. ſedit annis tribus.



LAVRENTIVS II. GOSLICKI.

IOANNE Tarnavvski ex Poſnanienſi ad Vladiſlauienſem Cathedram tranſlato, Laurentius Goſlicki, cùm antea Camenecenſis eſſet, ex Epiſcopatu Premiſlienſi, quem pluribus annis, cùm Abbatia Mogilnenſi, laudabiliter adminiſtrauit, ad Eccleſię Poſnanienſis gubernacula poſtulatus, eius poſſeſſionem adijt, Anno Domini 1601. die 16. Iulij. Hic



ex vetuſta Grimalitarum gente, quæ multos Clariſsimos Reipublicæ Polonæ viros produxit, ortus, maiorum ſuorum præſtantiam, in publicis priuatiſq; actionibus ita repræſentauit, vt Regibus & Principibus in Polonia viris meritò chariſsimus haberetur. Nam antequam ad Rempublicam acceſsiſſet, in omni ſcientiarum genere egregiè ver-

gie versatus, conscriptis de Optimo Senatore, magno iudicio & eleganti ſtylo in Italia libris, omnium oculos in ſe conuertit, viamq; ſibi ad dignitates aperuit: & ad publica munia, Legationes, & ardua negotia obeunda vocatus, omnes Optimi Senatoris partes ita perſequitur, vt non minùs Eccleſia paſtorem vigilantiſsimum, quàm Reſpublica Procerem patriæ amantiſsimum, ſe nactam magnoperè gaudeat & lætetur. Sed eius viuentis laudes pluribus proſequi, cùm in omnium oculos quotidie incurrant, ſuperuacaneũ videtur. DEVS orandus eſt, vt tantum Pontificem, prudentia, integritate, & auctoritate pollentem, ac pro Eccleſiæ & Regni Poloniæ ſalute, indefeſſo ſtudio, laborantem, diutiſsimè ſaluum & incolumem conſeruet.

LAVS DEO TRINO
ET VNI.



SERIES

SERIES ET SVCCESSIO EPISCOPORVM PONANIENSIVM.

1. IORDANVS.
2. *Timotheus.*
3. *Paulinus.*
4. *Benedictus I.*
5. *Marcellus.*
6. *Theodorus.*
7. *Dionyſius.*
8. *Laurentius I.*
9. *Martinus.*
10. *Boguphalus.*
11. *Pianus.*
12. *Stephanus.*
13. *Radvvanus.*
14. *Bernardus.*
15. *Svvandoslaus.*
16. *Geruardus.*
17. *Arnoldus.*
18. *Mrokotha.*
19. *Philippus.*
20. *Paulus I.*
21. *Boguphalus II.*
22. *Petrus I.*
23. *Boguphalus III.*
24. *Phalanta.*
25. *Nicolaus.*
26. *Ioannes I. VVyſkovviec.*
27. *Ioan: II. Herbuth alias Gerbiſch.*
28. *Andreas I.*
29. *Domaratus.*
30. *Ioannts III. Dolivva.*
31. *Ioannes IIII.*
32. *Albertus Paluka.*
33. *Ioannes V.*
34. *Nicolaus II.*
35. *Nicolaus III.*
36. *Ioannes VI.*
37. *Dobrogoſtius I. Widrzyok*
28. *Nicolus IIII. Kurovvki.*
39. *Albertus II. Iaſtrzabiec.*
40. *Petrus II. VVyſch.*
41. *Andreas II. Liaskarz.*
42. *Miroslaus.*
43. *Stanuslaus Cyolek.*
44. *Andreas III. Bninski.*
45. *Vriel de Gorka.*
46. *Ioannes VII. Ludbranski.*
47. *Petrus III. Tomicki.*
48. *Ioannes Latalski VIII.*
49. *Ioannes IX. de Ducib. Lit*
50. *Stanislaus II. Oleſsnicki.*
51. *Sebaſtianus Branicki.*
52. *Paulus II. VVolski.*
53. *Benedictus II. Isbinski.*
54. *Andreas IV. Czarnkovvki*
55. *Adamus Konarski.*
56. *Lucas à Koſcieliec.*
57. *Ioannes X. Tarnarvvki.*
58. *Laurentius II. Goslizki.*



